

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Da. 14. 6

(3)

ORATIONES
IN GYMNASIO
ALTORFIANO PARTIM
A RECTORE IOAN. THOMA
Freigio I. V. D. recitatae, partim
Adolescentibus recitan-
dae traditae.



CVM ALIIS QVIBVSDAM DO-
ctorum virorum scriptis.

NORIBERGÆ.
clō, Id. Lxxviii.

CLARISSIMO
VIRO, DOMINO HIER-
ONYMO VVOLFIO, AVGV-
stanae scholae Inspectori dig-
nissimo,

Ioan. Thomas Freigius S. D.

DROXIMIS TVIS LITĒ-
ris, constitutionē Gymnasij no-
stri vt ad te perscriberem, pe-
tisti: quibus tuis precibus ad-
monitus, plus etiam quā petisti praestiti.
Nam & actum solennem, quo in Rectoratus
Altorfiani possessionem in magna frequen-
tia nobilium virorum immissus sum, ad-
hucce-
re volui. Quam enim tum orationem publi-
cē, nomine Amplissimi & Prudentissimi Se-
natus Reipub. Noribergensis, Philippus Ca-
merarius, Iuris vtriusq; doctor, & eiusdem
Consiliarius, habuerit, quidq; ego tum re-
sponderim: quidq; Collega meus doctissi-
mus, Glacianus subiecerit: ipse legendo
cognosces. Adieci igitur, vt petisti, etiam
επιγραμμα nostrarum praelectionum, vbi
Regni nostri Academici διοίκησις vna quasi
synopsi & intuitu conspicias. De quibus om-
nibus iudicium tuum politum & limatū ex-
pecto. Interim bene vale, decus Germaniae.
Dat. Altorfij.

A 2 ORATIO

ORATIO PHILIPPI CA-
MERARII. I. C. HABITA ALTOR-
fñ die D. Andreæ sacro, Pridie Cal. Decemb.
anno 1576. cum Amplissimi Noribergen-
sis Senatus nomine, in præsentia triū Schol-
archarum, Bilibaldi Schlißelfelderi, Phi-
lippi Geuderi, Hieronymi Paumgartne-
ri, in possessionem Rectoratus im-
mitteret Ioan. Thomam
Freigium D.



Amplissimi, Generis nobilitate, prudentia,
Dignitate, Virtute, eruditione clarissimi
& præstantissimi Viri, ceteriq; auditores
ornatissimi, nec non & studiosa iuuentus,
Quemadmodum ij, qui peregre proficiscuntur, cum
ad urbes insigniores, propter res raras, et uisu dignas,
sermonib. hominum celebratas, ueniunt, illos quos ap-
pellant Xenagogos adhibent, qui ad loca urbium ear-
um memorabiliora eos deducant, resq; uisendas de-
monstrent: Ita homines in hac uita peregrinantes stu-
dio bonarum literarum, liberaliumq; disciplinarū cu-
piditate, teneri decet, ijsq; ueluti Xenagogo quodam
uti, ut eas res facilius discant, & assequantur, quæ ad
regendum totius uitæ cursum, & gubernandos mores,
quàm maximè necessariæ & dignæ existimantur. Hoc
sane olim prudentibus Regibus, & principibus Viris,
magna cum sollicitudine curæ fuit. Vt enim perspectū
habuere, quantum Reipub. emolumentum & orna-
mentum accederet, si iuuentus à primis, uti dicitur, un-
guiculis rectè institueretur, & hac ratione mature,

una

unà cum crescente etate quasi Virtutis & honestatis
liquorem hauriret: sic quoq; non ignorarunt, quanta
mala et incommoda ex neglectis liberalioribus studijs,
& prava corruptaq; educatione, prouenirent. Huc re-
spiciunt præcepta in Sacris literis sapientissimi Regis
Salomonis: Noli subtrahere à puero disciplinam: Item,
sapientiam & disciplinam qui abiicit, infelix: Et alia
ibi, Filij tibi sunt, erudi illos à pueritia. Quemadmo-
dum enim terra cultu, ut ait Quintilianus, sic animus
hominis disciplina, & literis melior, uberiorq; fit. Ob
eam causam suspiciendæ sunt leges XII. Tabularum,
in quarum reliquijs legimus, FILIVS ARTE
CARENS PATRIS INCURIA, EIDEM
NECESSARIA VITAE SVBSIDIA NE
PRAESTATO. Nam ueluti secundum naturam
est, ut à parentibus alendi sint liberi: ita uicissim à li-
beris, egentibus parentibus alimenta suppeditanda
sunt. Verum si pater desidia sua, & immemor officij,
sic negligat filium, ut nulla arte nullisq; disciplinis
eum curet educari, unde possit sibi uictum querere,
& patriæ prodesse, tunc ab illo arctissimo uinculo
alendi patrem, quo natura unusquisq; deuincitur, eum
hæc Lex absoluit & liberat. Apud Aegyptios Amasis
Rex legem tulit, sicut tradit Herodotus, ut unusquisq;
apud præsidem cuiusq; loci demonstrat, unde uiuat,
quod qui non fecerit, aut demonstrare uitæ suæ ratio-
nem iustam non potuerit, hunc morte mulctandum. Sic
quoq; leges nostræ Romanæ statuunt, quod liberi, qui
nulla imbuantur disciplina, hæc incuria propemodum
necentur. Hinc euenit, ut in bene constitutis Regnis &
Rebuspub. liberos suos successione dignos non cense-
rent,

vent, nisi qui prius parere, quam imperare didicerant.
Optimum profecto fuit institutum hoc ueterum, & sa-
lubre, cum praesertim persuasum illis fuerit, ob negle-
ctam liberorum educationem totam ciuitatem cor-
rumpi, & tunc demum beatas fore Respublicas, si aut
Reges ipsi scirent, aut ij, qui exculti liberalibus dis-
ciplinis essent, gubernacula tenerent. Extat hac de re
Philippi Macedonis notabilis epistola, tanto Rege
non indigna, quam, omisis alijs multis exemplis, re-
censere non inconueniens erit. Is enim, nato filio Ale-
xandro (qui postea, ob stupendam magnitudinem &
felicitatem rerum gestarum, Magnus est appellatus)
ita scribit ad Aristotelem: Filium mihi genitum esse
scito, ob quod equidem Dijs gratias habeo, non pro in-
de quod natus sit, sed quod nasci contigerit tempori-
bus uitae tuae: Spero enim fore, ut, edoctus eruditusq;
a te, dignus existat & nobis & nostrarum rerum sus-
ceptione. Vale. In quam magno precio deinceps ipse
Alexander doctrinam & literas habuerit, id satis ar-
gumento est, quod eum, in expeditionibus suis bellicis,
saepius legisse, semperq; in secretis libros secum cir-
cumtulisse traditum est, adeoq; ut scriniolum ex spolijs
Persicis, auro gemmisq; ac margaritis preciosissimum,
ad asseruandos libros Homeri destinaret, eiusq; Ilias
da (quos libros diuinum poema, & uiaticum rei mili-
taris appellare solitus est) noctu puluino una cum pu-
gione subijceret. Et hac ratione potentissimus ille
Monarcha, cum Homero uatum principe uigilabat,
cum Homero dormiebat. Hunc secutus est postea, in
tam laudabili & uere Regio proposito, Antigonus
Macedoniae Rex, cuius quoq; extat memorabilis epi-
stola.

stola. Ita enim scribit ad Zenonem Philosophum: Ego
fortuna me quidem & gloria uitam tuam antea ex
istimo, cæterum disciplinis studiisque liberalibus et per
fecta felicitate, quam tu possides, me longe abs te præ
celli sentio. &c. Notum præterea est, Iulium Cæsarem
in castris & strepitu armorum, nedum in ocio lectitasse
sa, dictitasse, scripsisse. Taceo eius successores in Imp
rio T. Vespasianum, Adrianum, Traianum: prætereo
tot Reges, tot proceres, tot Senatorios ac patricios Vi
ros, à plerisque, ob eorum doctrinam & flagrantem cui
piditatem erga bonas literas & Musas, celebratos.
Ideoque Homeri ingeniosissima inuentio laudatur, quæ
est eiusmodi: Calliope Regum comes est, Ioue nata pa
rente. Ne autem exempla tam longe petamus, audia
mus, quid patrum nostrorum memoria Alfonso, pru
dentissimus Aragoniæ Rex, literis politioribus tribue
rit, perconctantibus enim, utri rei plus se debere fate
retur, libris an armis? Ex libris, respondit, arma &
armorum iura didici. Hæc eo proposito recensentur,
ut nisi ij omnes, quorum mentionem fecimus, à teneris
annis, in literis & Virtutis studio imbuti & educati
essent, neutiquam tantam gloriam & immortalem
laudem assecuti fuissent. Sed prolixiorē narrationem
hac de re temporis ratio non patitur, cum præsertim,
si & ueterum, & nostrorum quoque Regum, & prin
cipum Virorum, studium peculiare erga liberales ar
tes recensere uellem, dies prius deficeret, quàm mate
ria. Neminem enim uestrum ignorare puto, quod in
ter moralis disciplinæ præcepta, quæ pars Philoso
phiæ pulcerrima est, primum locum merito obtineant
ea, quæ de Virtutum regimine & administratione re

rum publicarum tradita literis fuerunt, quoniam illis
humanae societatis uinculum et commoda infinita con-
tinentur. Sublatis autem uel sprete bonis disciplinis,
& humanioribus literis, in quibus ueluti inuolucris,
tot tantaq; salubria praecipua & admonitiones con-
tinentur, quid quaeſo inter homines humanitatis reli-
quum manebit? Id non ignorauit Iulianus ille trans-
fuga, uel potius Apostata, qui cum Christianos (sicut in
hodierna concione quoq; audiuius) omnibus con-
temptui & ludibrio exponere, imo ipsorum nomen &
memoriam funditus extirpare satageret, nullam aliam
uiam commodiorem ad hoc, nisi ut illis usus scholarum
et literarum interdiceretur, malignus spiritus inuenit.
Testes quoq; nobis sunt barbarae & immanes gentes,
quibus libet quod licet, & est pro ratione libido, anne
inter illarum & belluarum uitam, demta forma &
sermone, discrimen ullum inuenies? Non est igitur mi-
randum, quod in corporibus hominum quaedam ulcera
interdum crudescant, ut sanari nullo modo possint, sed
longe magis deplorandum est id in humanis animis
accidere. Haec enim intrinseca tabes, ut Polybius ait,
talem uim habet & efficit, ut nullum ex reliquis ani-
malibus homine atrocius atq; efferatius fiat, cui si in-
terdum ueniam aut impunitatem aliquam concesseris:
aut aliter benignitate eum fueris proſecutus, id omne
dolum fraudemq; existimans deterior fit, & erga be-
neficum longe magis infidus: Si uero te contra oppo-
sueris, nihil est adeo durum, crudele, nefarium, quod
non facile aggrediatur, laudem sibi eam temeritatem
existimans, donec ad extremum omnino efferatus ani-
mus humanam naturam exiit. Quarum rerum initia
um ac

um ac sane maiorem partem mali mores afferunt, & deprauata à teneris educatio. Hactenus Polybius. Ut autem nonnulla de Germania quoque nostra dicam, Etiam literas & disciplinas olim nullas habuisse constat, si Cornelio Tacito credimus: literarum, scribit is de Germanis, secreta uiri ac foeminae pariter ignorant. Et refert Aeneas Siluius, Adriani Imperatoris temporibus ciuilem cultum cum literis in Germaniam uenisse. Ex nostris historicis plerique sunt in illa opinione, ab octingentis annis Germanicam linguam coeptam esse literis exscribi, atque una cum Christiana Religione Musas in Germaniam commigrasse, publicisque Scholis & professoribus excultas. Vnde accidit, ut natio nostra, quae quondam barbara feritate nationibus omnibus horribilis, & formidabilis fuerit, adeoque ut Germani et Parathi (sicut in legibus nostris habemus,) proprie hostes Romani Imperij habiti sint, ea deinde omni ingeniorum cultu, omniumque disciplinarum elegantia & humanitate, ita exculta sit, ut uel cum doctiss. & literis eruditissima quauis gente, merito comparari possit.

Haec cum ita sese habeant, Ampliss. & prudentiss. Senatus Inclytæ & Sacri Romani Imperij Reipub. Noribergensis, pro sua insigni pietate & sedula cura rectiss. perpendit, quantum situm sit, ut tenera iuuentus in bonis artibus & studijs pietatis & honestatis recte institueretur, ideoque superioribus annis hoc Gymnasium magnis sumtibus, pio certè & laudabili consilio, à fundamentis extrui curauit: Viros Doctos & eruditos honestis stipendijs (inter quos fuit M. Valentinus Erythraeus piæ memoriæ, qui non sine fructu huic scholæ aliquantisper præfuit) conduxit, potestas

A 5 temque

temq; liberam fecit, non tam suis ciuibus & subditis,
quàm uicinis & exteris, ut hoc in loco, ueluti in com-
muni officina, studia Virtutis & bonarum artium dis-
cerent. Cæterum mortuo nuper D. Erythraeo Recto-
re uestro, idem Amplissimus Senatus in suo præclaro
& semel cœpto instituto uigili cura perrexit, & non
solum de hac schola conseruanda, sed etiam de ea am-
plificanda cogitauit. Ob eam rem Ioannem Thomam
Freigium legum Doctorem: et Iohannem Prætorium,
bonarum artium Magistrum, Viros claros, doctos, &
egregijs uirtutibus ornatos, accersuit: illum, ut in
locum mortui Rectoris succederet, huicq; scholæ præ-
esset: hunc, ut Mathematica et bonas artes doceret. Ac-
cipite igitur, quod felix faustumq; sit, Clariss. & Do-
ctiss. Viri bonis, auspicijs, munus hoc, quod uobis Am-
pliss. Senatus et D. Scholarchæ præ cæteris, sic uolente
Deo, singulari fauore destinarunt. Nostis enim Horati-
anum hoc, Principibus placuisse Viris, non ultima laus
est. Romani olim in Vrbe sua, magna in ueneratione
habuere duo templa, Virtuti & Honori dicata. Ea au-
tem ita constructa fuere, sicut hodie adhuc ex ruinis
eorum apparet, ut ad hoc nisi per illud aditus nullus
esset. Quid obstat quæso, ut nunc dicatur, uobis adis-
tum per Virtutis, ad Honoris templum, liberum pate-
factum esse? Committitur fidei uestre, & quasi depos-
nitur apud uos gubernatio scholæ huius & institutio
iuuentutis: Vos uero, sicut omnibus persuasum est, sus-
matis ante omnia (ut Quintilianus de officio & mo-
ribus præceptoris monet) parentis animum erga dis-
cipulos uestros, ac succedere uos in locum eorum, à
quibus liberi uobis commissi sunt, existimetis. Nam ut,
Militio

Militibus placuisse Ducem, non ultima laus est: Ita in
uestra togata militia, Discipulis placuisse, haud laus
est nulla magistri. Habetis Collegas, participes labo-
rum, uiros pietate, eruditione, & Virtute præstantes,
qui uos obseruant, & amant, & ut multa paucis di-
cam, qui digni sunt, ut uos cum illis, & ij uobiscum in
perpetuo amore ueræ religionis, absq; omni distracti-
one uel uoluntatum, uel animorum, coniunctiss. uiua-
tis, & studia pietatis & Virtutis absq; scandalis exco-
latis. Vos enim & omnes bonos, non separatas, sed,
Contiguas pietas iussit habere domos. Hac ratione,
Clarissime D. Freigi, Semper honos nomenq; tuum,
laudesq; manebunt: Hac ratione, Ornatiss. D. Præto-
ri, Semper honos nomenq; tuum, laudesq; manebunt.

Conuerto me nunc ad uos, studiosissimi adolescen-
tes. Audiuiſtis antea, & nunc quoq; de pio instituto,
& singulari affectione Ampliss. Senatus, & Scholar-
charum: At non satis est audire: sed certo statuere, ob
uestrâ utilitatem ista omnia fieri. Vobis. n. (uti senex
ille apud Comicum monet) uobis inquam seritur: uobis
metitur: uobis iisdem honos. Accedite & uos ad tem-
plum Virtutis et Pietatis, quod hoc loco uobis, carissia-
ma iuuentus, non solum ædificatum, uobis apertū, uo-
bis deniq; destinatum est: uerum etiam sacra, non Eth-
nica illa, sed doctrina & eruditio uobis sponte appo-
nuntur. Vestrum nunc est, ut puris & immaculatis ue-
stibus, pijs & modestis mentibus dico, tantam & tam
magnam munificentiam grati accipiatis. Hac ratione,
(ut ueterum more loquar) rectiss. & libare, & litare
poteritis. Inprimis habeatis rationem temporis. Id
enim, ut est perniciosissimum, ita semel elapsum recupe-
rari

vāri non potest. Nam μέγα ἀνάλωμα τῷ χρόνῳ. Ita
eoq; Metrocles ex ueteribus sapientiss. dicere solitus
fuit: Res alienas emi pecunia, ueluti domum, uestem,
& similia: sed disciplinas emi tempore. Cogitate praes
terea, Vt posse placere Duci, Laus militis ultima non
est: Ita Discipuli haud laus est postrema placere doc
centi. Fugite improbitatem, lasciuiam, proteruiam,
& alia uitia, quibus aetas uestra, nondum confirmato
iudicio, obnoxia est. Estote autem strenui sectatores
Herculis Libyci. Ferunt enim in Libya ferarum genus,
ex promiscuo bestiarum plurium & diuersarum cois
tu, progenitum, id autem immane admodum saeuumq;
circa Syrtes plurimum uersari. Hoc monstrum ita des
pingunt: Corpus quidem muliebre, idq; admodum fora
mosum, totumq; pectus ac ceruicem pulcherrimam: col
lore cutis nitidissimo: Reliquū autem corporis squa
mosum & horridum: inferne demum in longum sera
pentem desinere, cuius caput acre & mordacissimum.
Has feras, uel potius monstra, robore & pernitate
sua fretas, animalia reliqua facile assequi & oppri
mere: at unum hominem dolo tantum blandicijsq; ad
oriri, & superare. Herculem igitur Libycum, iter per
istas solitudines facientem, in eas incidisse, quas ubi
primum e longinquo prospexisset, fugam arripuisse
pernicissimam. Illae autem, cum diu subsecutae praes
dam tamen nancisci minime potuissent, indignatione
succensae, omnem in se rabiem & crudelitatem cons
uertere, ora pectoraq; sua foediss. discerpentes. Hac
narratione, uel ut opinor fabula, ueteres prudentes pu
eros & adolescentes imprimis admonere uoluerunt,
cupiditates & uoluptates, nisi fugiendo, & auersan
do,

do, uitari & in nihilum redigi non posse. Nam, *Credula*
la res puer est. Hoc autem eo facilius assequi poteritis,
si adhibitis pijs & religiosis precibus, peccati illece-
bras, uti nos docent sacrae Literae, ueluti colubrūm fu-
giatis, (cum & uobis, imò nobis omnibus res sit in uia
ta cum angue peruigili, reptili, qui Mille per *Mæan-*
dros, *Fraudesq;* flexuosas, *Agitat* quieta corda,) & in-
uocatione uestra seduli & diligentes perseueretis. Ut
enim, *Inuia* desidia est omnis uia: Sic uicissim, *Inuia*
nulla uia est, quando labor improbus instat. Ob eam
rem non minus rectè quàm piè admonemur:

Non nisi per magnos uoluit Deus esse labores
Ad sua regna uiam: Nec sidera segnibus offert.


Omnino autem, ut est in prouerbio, *Qui è nuce nu-*
cleum esse uult, frangat nucem, id est, qui commodum
appetit, ne fugiat laborem. Hac ratione & uobis ma-
turus aditus per *Virtutis* templum ad *Honoris* adem
patebit. Quemadmodum enim huius portae, non segnis-
bus, non stupidis, non peruersis, nec impuris patent:
ita industrijs, docilibus, modestis, et pijs eae sponte ape-
riuntur. O quàm pulchrum est hoc, Nil dictu foedum,
uisuq; hanc limina tangat, *Intra* quae puer est. Persua-
sum igitur, ut tandem finem faciam, omnibus esse de-
bet, hoc, ut diximus, unicum intentum *Ampliss.* et prou-
dentiss. *Senatus Reipub. Noribergensis* esse, ideoq;
uniuersi & singuli cogitent, hoc amplum & sumtuos-
sum aedificium non dijs deabusq; *Ethnicis* alijsue ludis-
cris rebus, sed *Christo* & studijs *Virtutis*, & honesta-
tis, cum hac inscriptione consecratum esse:

Insignis pietas & sedula cura *Senatus*,
Hanc *Christo* & studijs constituere scholam.

Quod

Quod restat, accipe nunc, Vir Clariss. & Rector
huius scholæ dignissime, Sigillum, & librum, in quo
leges scholasticæ & membra huius scholæ annotata
sunt, et deinceps annotabuntur. His ueluti insignijs tui
magistratus, iussu & mandato D. Scholarcharum te
inuestio, eaq; fidei tuæ committo, ut ad destinatos usus
ijs recte utaris. Faxit Deus, ut id omne tendat ad glo-
riam sui diuini nominis, & ad publicam priuatamq;
utilitatem. D I X I.

ORATIO IOAN. THO-
MÆ FREIGII, I. V. DOCTORIS,
habita Altorfñ, cum ipsi Rectoratus
scholæ demandaretur.

 Vm uiginti & plures annos in liberalium
artium linguarumq; studijs priuatim non
paruo labore uersatus: & uarijs exerci-
tationibus, diuersisq; prælectionũ genera-
bus, publicè eadem professus essem: sed infinitis ferè
laboribus, diligentissimis meditationibus, & religio-
sæ cuidam pietati meæ, nec fortuna nec successus re-
sponderent: tandem cum tacito quodam iudicio uitæ
illud genus condemnassem, & à Musis (quas tantope-
rè coluissem, quasq; ab ineunte ætate, quàm longissimè
mea mens respicere potest, adamassem) iam ferè
animo alieno abhorrere cepissem: nescio, quæ rura
& quos agrestes Musas cum typographicis laboribus
coniunctas meditari, ac mihi ad id tempus, quod uitæ
superesset, deligere ac proponere cepi. In ea meditati-
one mihi uersanti, sæpè in mentem uenit superioris se-
culi

culi felicitas : in quo cum sepultæ prius à Sophistis ar-
tes liberales, rursus per præstantes heroicis ingenijs et
uirtutibus homines, tanquàm postliminio reduci, et in
orbis theatrum deduci uiderentur : tantus subito do-
lorum hominum prouentus & erga artes bonas ara-
dor extitit, ut nulla ætas præclarorum ingenio-
rum copia feracior fuisse credatur. Non est necesse hæc
multis testimonijs à me confirmari, aut longè exem-
pla peti : Extant adhuc hodie & superstites sunt mulla-
ti, qui non solum istam literariæ huius scenæ conuersi-
onem nouerunt, sed etiam eidem sua opera, consilio &
autoritate præfuerunt. Inter quos uel præcipuos ad-
huc Ioannem Sturmium Argentiniensis : ac Hierony-
mum Volfium Augustanæ. scholæ parentes & sato-
res habemus. Verùm ut omnium rerum bonarum uel
satietas quædam, uel certè fatalis conuersio est : uix
pauci anni præterierunt, cum manifesta statim mutatio
prioris literaturæ incidit : ut iam pleriq; non modò
studiorum liberalium, à parentibus nostris paucorum
annorum hæreditate possessorum, amorem curamq; ac
defensionem abijcerent, aut negligerent : sed apertius
etiam quidam uel agnata animi malitia, uel aliunde
concepto odio, impediendas sibi existimarent : quidam
etiam studiosè id agerent, unumq; sibi propositum ha-
berent, ut quod alij armis ac ferro conarentur, ipsi alia
aliqua & callidiorè ratione, sublato ex oculis homi-
num puriore & ueriores illo ex uero usu philosophan-
di genere, multis magnisq; nostrorum auorum labori-
bus eruto & expolito : ipsam tandem barbariem, & non
tardèq; tenebras, uix è Christiano orbe multis sudor-
ibus eiecitas profligatasq; in oculos, in animos, in iu-
dicia,

dicia, in templa, in omnes hominum coetus & conuentus
introducerent. Quos quidem homines, si modò hoc no-
mine digni sunt, quoniam satis noti sunt, & recens
tanquam Terræ filij, nescio à quo chorago in Christi-
ani orbis theatrum eis τὸ θεαθῆναι immissi sunt, gra-
uius appellandos non censeo. Qua in cogitatione cum
sepius magno cum dolore, cuius aliquando amici quia-
dam compotes fuerunt, uersarer: tandem rebus diu
multumq; agitatis Platoniam illum ἀπραγμοσύνην
mihi sequendam statui, de qua is in libris de Repub. ad
hunc modum diuinitus locutus est. Ταῦτα πάντα,
inquit, λογισμῶ λαβῶν, ἡσυχίᾳ ἔχω καὶ τὰ
αὐτῶ πράττω, οἷον ἐν χερσίν κονιορτῶ καὶ ζῴο-
λης ὑπὸ πνεύματι φερομένῃ, ὑπὸ τῆσιν
ὑποδαίς, ὁρῶν δὲ ἄλλῃσιν κατὰ πηλαμένῃσιν ἀνο-
μίας, ἀγαπᾷ εἶπῃ αὐτῶσιν καθαρῶσ ἀδικίᾳσ τε καὶ
ἀνοσίῳσ ἐργῶσ, τὸν τε ἐνθάδε βίον βιώσεται, καὶ
τῆσ ἀπαλλαγῶν αὐτῶ μετὰ καλῆσ ἐλπίδος ἴλε-
ῶσ τε καὶ εὐμενῆσ ἀπαλλάξεται. Itaq; cum iuxta
Platonis illud consilium, è tempestate literaria me sub-
ducere, & in ruris ac typographicæ artis portum me
conferre decreuisssem: iamq; aratro tantum non ma-
nus admouisssem: nescio quo fato accidit, ut uir claris-
simus, Germaniæ nostræ ornamentum, qui ex illis
ueteribus Argonautis (qui literarum nobilium illu-
striumq; χρυσόμαλλον δέρας, Sophistis, Cimmerio-
rum uicinis, abstulerunt) alter adhuc ἐρέτης superes:
Hieronymus inquam V Volsius superioribus mensibus
ad me, Basileæ tum in typographicis laboribus sudan-
tem, scriberet, se Amplissimo prudentissimoq; Nori-
bergenfium Senatui, de me ad nouæ huius scholæ Re-
storatum

cloratum uocando, autorem suasoremq; fuisse. Quam
 quam autem eo tempore Basileam, tanquam alteram
 patriam mihi delegeram: typographiaq; semper à me
 amata et culta, totum me deuoueram: tamen cum non
 modo VVolsij nostri litera: sed & Reuerendissimi ac
 nobilissimi uiri, Domini VVilhelmi Bocklins, Magde-
 burgensis Præpositi amplissimi: ac doctissimorum
 clarissimorumq; uirorum, Basilij Amerbachij I. C. &
 Theodori Zwingeri Medici commendationes pro me
 tanquam prædes interpositæ: Senatuum uestrum am-
 plissimum impulissent, ut me, nihil tale neq; merentem
 neq; sperantem, publico diplomate honorificè à typo-
 graphico prælo & aratri stiua, ad dictaturam litera-
 riam ut alterum Cincinnatum euocaret: non sine nu-
 mine Diuûm hanc uocationem factam esse existima-
 ui. Nam si etiam ueræ religionis ignari ethnici ne mi-
 nimarum quidem rerum ullam sine autore & guber-
 natore Deo Opt. Max. fieri putarunt: quid nos rectè
 de Deo persuasione imbuti, non maximarum & hu-
 manæ societati gratissimarum rerum occasiones ac
 successus Deo præpotenti adscribemus? Quid autem
 liberalium artium professione & iuuentutis recta, pia
 salutari, docta q; institutione maius? Quid hominum
 generi utilius ac magis necessarium? Rectè enim Pla-
 to τὸ τῆς παιδείας ἐπιμελετὴρ maximum sum-
 morum in ciuitate magistratum esse dixit. πάντῃ
 γὰρ φυτῶν ἢ πρώτῃ βλάστῃ καλῶς ὀρμηθῆσα,
 πρὸς ἀρετὴν τῆς αὐτῆς φύσεως, κυριωτάτῃ τέ-
 λει ἐπιθῆναι τὸ πρόσφορον. ἀνθρώπων δὲ ὡς
 φημὲν ὑμερῶν, ὁμῶς μὴ παιδείας μὲν ὀρθῆς τυ-
 χῶν καὶ φύσεως εὐτυχῶς, θεότατον ἡμερώτα-

B

τομ

τοῦ τε ζῶον γι' ἕνεκα φιλοφ. μὴ ἰκανῶς δὲ ἢ μὴ καλῶς
λαῶς τραφῆν, ἀγριώτατον ὁπόσα φύει γῆ. Quam
obrem cum me ad hanc instituendæ moderandæq; iu-
uentutis quasi dictaturam euocatum esse uiderem: Dei
Opt. Max. expressam clarissimisq; argumentis testa-
tam uoluntatem agnoscere fui coactus: qui me, diuis-
nitus demandatæ stationis quasi desertorem, ad officia-
rum & munus, ad quod factus essem, reuocaret: planeq;
iudicium illud de liberalium studiorum periodis (ut
hæc modò apud hos, modò apud illos: nusquam au-
tem perpetuò floreant) mihi antea ἀδιάλυτον, felici
solutione expediret: dubijq; animi scrupulo exempto,
diuinum iudicium ab humano longè abesse ostenderet.
Quæ quanquàm ita se haud dubiè habent: uellem ta-
men Deus Opt. Max. doctissimo uiro, eloquentiq;
Rhetori Valentino Erythraeo, non solum bonarum ar-
tium professione, sed & multis præclaris, ingenij sua-
uis & facundi monumentis, clarissimo: diuturniorem
huius lucis usuram, longioremq; uitam concessisset:
aut fortuna adeò æquam ac benignam se uobis præbu-
isset, uotisq; uestris ita fauisset, ut clarissimum uirum
Hieronymum V Volfium (quem grati animi & hono-
ris causa nomino, uel potius pro ipsius erga me meri-
tis sæpius nominare cogor) ad uos huc traducere, &
scholam uestram, primo parente orbatam, huic assiduo
quasi tutori assiduam pupillam, locupleti locupletem
commendare potuissetis: nequaquam pro illis maio-
ris census uiris, & ab eruditione, omniumq; uirtutum,
studiorumq; genere optimè instructis, & autoritate
grauissimis: me proletarium ac capitecensum & in-
fimæ classis hominem substituere necessum habuissetis.

Sed

Sed quoniam illum fatalis & insperata quaedam calamitas uobis eripuit: hunc uerò magistratus sui amor & beneuolentia domi retinuit: fortunam equi boniq; consulere: & animi mei, uobis dediti, propensa uoluntate contenti esse debetis. Etenim si quisquam est, qui ita uitam suam comparare studuerit, ut quicquid ageret, quicquid susciperet, id omne ad Reipub. Christianae commodū & utilitatem referre conaretur: ego sanè in eorū hominū numero me quoq; esse uolui. Hunc enim cogitationum & meditationū mearū finem semper mihi propositū habui, ut, si quid in liberaliū artium studijs consecutus essem, id omne in publicam utilitatem effundere liberaliter possem. Eius mei uoti hodierno die reus factus sum. Cum enim me in Rectoratum & possessionem nouae huius scholae, solenni ritu, in praesentia tot nobilium & clarorum uirorum immissum esse uideo: in praestantissima Reipub. uestrae parte administranda me collocatum: amplissimumq; campum laborum meorum & futurae industriae meae actum esse existimo: mihiq; persuadeo, dies noctesq; modis omnibus uigilandum, prouidendum, enitendum esse, ne tanto tantæq; sollicitudinis & curationis oneri succumbam. Itaq; si quid est in me doctrinae, cuius me sane poenitet: si quid ingenij, quod perquam tenue mihi contigit: si quid laboris & diligentiae, quam, quia minus ingenio ualerem, in subsidium mihi comparauit: id omne haec schola nostra sibi suo iure uendicabit. Atque utinam schola haec nostra, artium liberalium honestarumq; uirtutum omnium nutrix, tam diu felix beataq; uigeat & floreat, quam diu pro laudatissimi instituti dignitate & amplitudine meretur: egoq; ipsi

us gloriam tanto tamq̄; prospero successu procurare
possim, quanto imprimis cupidè & studiosè me procu-
rare posse exoptarim: nulla sane temporis diuturni-
tate consenesceret, sed innumerabilibus seculis om-
nium literarum & uirtutum celebritate floreret: &
meum in ipsam si non officium laudaretur: nulla ta-
men negligentia repræhenderetur. At laudibus illius
nulla ætas, nulla temporis debilitas, finem est allatura:
sed ad seram usq; posteritatem omnis generis felicitas
te ac prosperitate nobilitateq; uigebit. Si enim per-
petuæ illius nobilitatis argumentum à me postuletur,
nullum sanè certioris autoritatis augurium afferre
queam, quàm quòd Senatum primò Noribergensem,
deinde Scholarchas tres, Bilibaldum Schlüsselfelde-
rum, Philippum Geuderum, Hieronymum Paumgart-
nerum, uiros uerè patricos, doctrina, prudentia, ex-
perientia præstantissimos, omnium Meccenatū Meccæ-
nates liberalissimos: imò parentes sui amantissimos
nacta est: quòdq; omniū liberalium artium, quibus exis-
guū humanæ uitæ curriculū immensis æternitatis spa-
cijs propagatur, laudes in se complexa est. Itaq; breui
futurū spero, ut exteri uiciniq; uestri, tantis uirtutibus
uestris, taliq; scholæ uestre celebritate excitati, ad
hanc uirtutis, eruditionis, humanitatis officinam cu-
pidis animis sint aduolaturi. Si enim Plato, Aristotes-
les, Cicero, Euclides, Ptolemæus: omnesq; omninò bo-
narum artium parentes et autores fãto aliquo in hanc
lucem diuina palingenesia rediuiui, Altorfij in audis-
torijs istis artes suas ingeniosaq; monumenta expli-
carent: moueret opinor talium tamq; præstantium ui-
rorum autoritas, totam Europam, imò & Africam
et Asiam

et Asiam ipsam, ut relicta patria sede ad nostræ scholæ
diuinum diuinorū hominum auditorium sine cunctati-
one confluerent. At adsunt tales omnes: Quæ enim ars
ulla liberalis ex illo ἐγκυκλοπαιδείας numero est,
cuius fontes in nostra schola non liberaliter aperueri-
tis? cui non insignem aliquem literatumq; doctorem et
explicatorem præfeceritis? Futurum ergo breui spero,
planeq; confido, ut non solum frequentia hominū, sed
et disciplinæ omniumq; uirtutū & doctarum laudum
celebritate nostra schola ita crescat, ut cum qualibet
Christiani orbis Academia meritò comparari queat.
Atq; ut me quoq; non omnino degenerem à præcepto-
ribus meis discipulum esse perhibeam, ita me in mea
ista uocatione geram, ut frustra me didicisse nemo di-
cere possit. Henricus Glareanus, qui mihi sedulo audi-
tus est, præter facilitatem in docendo, hoc etiam habua-
it, quòd breui temporis spacio, infinitos ferè autores,
tam historicos quàm poëtas absolueret. Petrus Ramus
mira diluciditate, breuitateq; & diuina quasi metho-
do, in artium liberalium præceptis usus est: omniaq;
artium theoremata ad usum uitæ humanæ accommo-
dauit: solaq; utilitate & ueritate metienda esse cen-
suit. Zasius in iure ita uersatus est, ut in ueterum iu-
reconsultorum præceptis, non tam Politicam ciuilemq;
facultatem, quàm uerè recteq; iudicandi Logicam pru-
dentiam inquireret. Horum trium uirorum uestigia,
quæ religiosè, multis annis secutus sum, deinceps quoq;
insistam: & eorum uirtutes per eas acroases, quas fa-
cturus sum, quoquo uersum circumducam, ut quantum-
uis iam antea mortui, utilitatis tamen & memoriæ,
quam eternam reliquerunt, commodo, in nostris scho-

lis uiui quodammodo obuersentur. Sed ad exitum mea
festinat oratio.

Ad extremum igitur, Viri Noribergenses, non
quidem quod de uoluntate uestra (quæ iam multis, nec
obscuris argumentis, & clarissimi uiri Domini Philippi
Camerarij oratione amplissimè testata est) du-
bitem: sed quia mos ita hortandi est, hortabor. Sit
Noriberga opibus, armis, ingenijs, Mathematicis quo-
que non solum præceptis, uerum etiam operibus &
exemplis florentissima toto terrarum orbe ciuitas. At
inter egregias uestras laudes noua hæc Altorfij schola
præcipuum locum sibi uendicabit: ac uarijs linguis
artibusq; instructa, per Europam uniuersam augustum
quoddam inclytæ ciuitatis Noribergensis nomen dila-
tabit & propagabit: imò uerò eorum famam ac cele-
britatē propagabit, qui tanti tamq; diuini boni prin-
cipes & autores & conseruatores extiterunt. Gallie
reges Parisiensem Academiam primogenitam filiam
nominant. Sic schola Altorfiana, uestra, uiri Noris-
bergenses, filia est. Mortales liberi, mortalem: immor-
tales, immortalem gloriam memoriãq; parentibus
asserunt, ait Plato. Substructiones igitur illæ & præ-
clari ædificij moles ingentes, quas magna hominum fa-
ma, singulariq; expectatione ædificatis, etsi uestræ
(quàm diu per naturam queant) futurae sunt: tamen
lapides ipsi parietesq; muti surdiq; erunt. At schola
ipsa, quàm diu Noribergensium urbs incolumi statu
permanserit, Noribergensium liberalitatem & bene-
ficentiam gratissimo animo præ se feret, omnibusq;
linguis & literis apud omnes populos in æternum
prædicabit. Sic historiarũ monumentis Philippi regis
Macedo

Macedonum magnificentia celebratur, qui in gratiam filij Alexandri Nymphæum Aristoteli extruxit. Sic Atheniensium Lyceum, Academia & Cynosarges commemorantur. Sic Carolus M. Parisiensem: Theodosius iunior Bononiensem: Ferdinandus Aragonius Neapolitanam Academiam: sic alij alias laudabili conatu condiderunt. Sic & Alexandria, sic Antiochena, sic Constantinopolitana, sic Romana schola magnis præconijs à ueteribus est celebrata. Spero itaque, imò certo iam augurio ductus, confirmare ausim, breui fore ut schola nostra Nymphæo, Lyceo, Academia, Parisijs, Bononiæ, Neapoli, Alexandria, Antiochia, Byzantio, Romæ, non multum concedat: & si non Platones, Aristoteles, Cicerones, Ptolemæos, Euclydes, Papinianos: at his non multum dissimiles, magno cum prouentu, tanquàm equus Troianus, emissurus in Europam sit. Quod igitur superest, uiri Noribergenses, hanc filiulam uestram liberali custodia septam, tanquàm egregiam uestram uirginem continete: liberaliter ornate & exhibete: ex instructissima bibliotheca mundum uirginium dotis loco attribuite: ubi ingenuis eius amatoribus fructus ingenij longè gratissimus, non solum exquisitis omnis generis omniumq; linguarum libris, sed & commodis librorum, præsertim Mathematicorum, instrumentis et Cosmographorum tabulis, cuius in promptu sit. Ignoscetis autem meæ prolixitati: nam amore uestræ filiolæ prouectus sum longius.

Vos autem collegas meos, qui ingenuæ & patriæ iuuentuti præfecti estis, adhortor & moneo, ut in communi nauis me ad clauum sedentem, remigijs ue-

stris strenuè & alacriter adiuuetis : omnes syrtes ,
 scyllas, charybdes, & si qua alia monstra in longo il-
 lo nauigationis nostræ cursu occurrere possunt , dili-
 genter prouideatis & sapienter declinetis, ne uel bre-
 uium uoragine absorpti , uel scopulosis cautibus illisi,
 naufragium faciamus. Itaq; in summo nostræ nauis ma-
 lo, ipsoq; Carchesio , summum nautarum præceptum,
 ὀρθὰρ τὴν ναῦν, inscriptum existimate, & ad id sæ-
 pe sæpiusq; oculorum aciem conuertite : cursumq; ip-
 sum & totam uelificationem non ad ueterum Cynos-
 suram Helicenue : nec ad hodiernam pyxidem nautis-
 cam, acumue magnete tinctam : sed ad coelestem regu-
 lam ueræq; religionis normam dirigite : ut quemada-
 modum Platonis politia, sic nostra hæc literaria nauis-
 gatio tota θεοείκελ & θεοφθὴς sit. Et quanquam
 accepistis Platonicum ναυκλήρορ, ὑπόκωφορτε καὶ
 ὀρθῶντα βραχὺ τι: illud tamen sedulo cauete, ne idem
 contingat, quod Plato inter seditiosos nautas accidere
 ait his uerbis : τῶν ναύτας σασιάζοντας πρὸς ἀλλο-
 λήλας πῶδ' τῆς κυβερνήσεως, ἐκασορ διομόνορ
 δ' ἑκασορ κυβερνᾶν, μήτε μαθόντα πώποτε τῆρ τέχ-
 νηρ, μήτε ἔχοντα ἀποδιδῆαι διδάσκειλορ ἑαυ-
 τῶρ, μὴ δὲ χρόνορ ἐρῶ ἐμάνθανε. αὐτῶν δὲ αὐτῶ
 ἀεὶ τῶ ναυκλήρῳ πῶδ' ἐκχυῶθ' δεομένους ἢ πάν-
 τα ποιδέντας ὅπως ἀρσφίσι τὸ πηδάλιορ ἐπι-
 τρέψῃ. Quibus rebus declinatis , scholæ nostræ utilis-
 tatem , iuuentutisq; salutem attentè considerate, &
 existimate Deum Opt. Max. ut laborum ac uigilia-
 rum liberalissimum remuneratorem : ita socordiae &
 negligentiae uindicem futurum acerrimum.

Te etiam, ingenua & florida iuuentus, ac studio-

sa con-

sa cohors, affari libet & cohortari, ut parentum &
amicorum liberalissimum beneficentissimumq; ani-
mum, in artium bonarum illo domicilio magnis sum-
tibus extruendo, cogites, & iuxta Imp. Theodosij ad
Honorium filium præceptum:

Interea Musis (animus dum mollior) instes:

Et, quæ mox imitere, legas: nec desinat unquam

Tecum Graia loqui, tecum Romana uetustas.

Deniq; ut ad eum conuertamur, qui huius totius
negotij haud dubie autor primus fuit: Te, ô coelestis
sancte pater, omnium bonarum artium fontem depre-
cor, ut menti meæ, publicam causam procuranti &
agenti, ueritatis & utilitatis publicæ lumen præferas:
ut rem tantam tamq; grauem & humeris meis ini-
quam, in regenda ac gubernanda ista schola, diligen-
ter, accuratè, fideliter administrare: utq; breui sum-
mam laudis famæq; accessionem scholæ isti gratulari,
& eius singulari gloriæ & commodis diu inseruire
possim: utq; tu, qui huius oneris mihi imprimis autor
fui, idem quoq; cum filio tuo, Domino nostro Iesu
Christo, & Spiritu sancto tuo moderator & adiutor
esse digneris. D I X I.

GEORGII GLACIANI,
ORATORIÆ PROFESSORIS GRA-
tulatio, Rectori & Mathematico fa-
cta, suo suorumq; Collega-
rum nomine.

Duturni desiderij nostri expectationem,
Magnifici, Nobiles, Reuerendi, Clarissimi
B S atq;

atq; doctissimi Viri: & uos studiosi adolescentes: hodie
diernus dies cumulatè expleuit: idemq; dolori, quem
ex scholæ huius difficili statu ceperamus, finem attu-
lit. Quod enim hætenus in summis uotis atq; optatis
habuimus, id iam diuino munere, & amplissimi Sena-
tus nostri beneficio consecuti sumus. Clarissimis enim
Viris, Ioanne Thoma Freigio I. V. Doctore, & M.
Ioanne Prætorio Mathematico, huc ascitis: atq; illo in
locum Rectoris suscepto, omnem salutem & autorita-
tem nobis nostræq; scholæ conseruatam ac restitutam
existimamus. Dolebamus enim, & uehementer animis
angebamur: cum uideremus huius scholæ initium cum
tot tantisq; difficultatibus coniunctum esse: & misera-
rum esse ducebamus, uersari nos in hoc literarum do-
micilio: D. Erythraeo: piæ memoriæ: laborum nos-
trorum duce atq; socio nobis erepto. Itaq; amplissimi
Viri, & nos iam recreastis, & alijs quàm plurimis ad
bene de literis sperandum, quasi signum aliquod sustu-
listis. Perspectum est enim nobis quidem in multis: ma-
ximè uero in hoc salutari decreto: quo hos duos præ-
stantissimos Viros huic scholæ præfici uoluistis: uos
omnem in bonis artibus ac disciplinis, quæ ubiq; iam
algent, fouendis & amplificandis curam & cogitatio-
nem defixisse. Quæ cum ita sint, Viri prudentissimi:
uoluit uniuersa hæc schola, ac etiamnum tacitè postula-
re uidetur, ut tum communi nomine, uestram erga
literas eximiã uoluntatem grata eaq; publica memo-
ria iam prosequar: tum etiam Clarissimis Viris, qui-
bus hæc schola iam aucta est atq; ornata, officia & stu-
dia nostra pollicear ac deferam: atq; imprimis ad huius-
manissimam D. Rectoris adhortationem breuiter res-
pondeam.

Spondeam. Etsi autem plus oneris susceperim, quam
ferre me posse intelligam, & proinde temeritatis ac-
cusari posse uidear: tamen, quia non ostentatione sed
officio adductus id fecerim, spero me facile ueniam à
bonis uiris impetraturum esse. Quamuis enim tanta
dicendi aut scribendi uis, tantaq; copia in me non sit:
ut rem propositam exquisito sermonis genere, sicut
par erat, exprimere queam: tamen conabor, & quod
spero, consequar, ut omnes intelligant, diuinum atq;
immortale esse id meritum, quod Amplissimus Sena-
tus in hanc scholam confert: summosq; illis honores &
gratias deberi, qui in optimis disciplinis et conseruanda
dis et tradendis, plurimum operæ studijq; ponunt. Pri-
mum autem omnium statuendum est, Auditores, nihil
præclarius, nihil utilius aut magis necessarium esse
omnibus imperijs ac Rebuspub. quàm artium & disci-
plinarum propagationem. Nam hæc & homines sana-
ctos, & uiros sapientes, & Ciues probos beneq; mo-
ratos efficere solent: qui ad defendendam religionem,
ad tuendam Magistratus autoritatem, ad plebis utili-
tatem augendam, omnia sua studia atq; consilia con-
ferre possint ac uelint. Et constat sanè eam ciuitatem,
cui præest magistratus, doctrina atq; eruditione præ-
ditus, optimè gubernari: illam uerò, quæ hoc caret,
nec feliciter administrari, nec diu saluam atq; incolu-
mem consistere posse. Quæ etenim ciuitas florens ac
fortunata absq; literarum studijs uerè dici potest?
Quæ regio diu incolumis & beata persistit, nisi libe-
ralium doctrinarum ope sustentetur? Quod deniq; im-
perium tam munitum, tantisq; uirtutibus septum est,
quod sine nobilium disciplinarum subsidio tranqui-
lum

lum & stabile permanere queat? Nobilissima illa Atheniensium Vrbs, quàm diu bonis artibus floruit, literatisq; hominibus abundauit: simul & Imperium maximum, non opibus tantum, sed etiam rerum gestarum amplitudine obtinuit: at ubi barbaries eam infuscare & opprimere coepit: ipsa quoq; unâ cum disciplinis oppressa concidit: quæ antea sapientiæ laude tam celebris fuerat, ut ex Solonis legibus Respub. Romana sua initia duxerit. Quin etiam ipsa Roma, dum Eloquentiæ studia coluit, suas leges & iura non solum tueri, sed etiam Imperij sui terminos, quàm longissimè proferre poterat: at ubi domesticis diuisa discordijs & infirmata bellis fuit, & doctrinæ studia languescere coeperunt: simul cum libertate literæ, & cum literis ipsa libertas afflictâ periit. His uerò temporibus, in quæ nostra hæc ætas incidit, nõne ubi doctrinarum studia uigent, ibi Respub. quoq; beatæ atq; florentes esse solent? Hoc enim doctrina & eruditio præstat, ut optimatum beneuolentia & plebis obseruantia arctè coniungantur, & homines non solum uitam degant tranquillam: sed etiam societatem tum suauiorem tum constantiorem inuicem colant & tueantur. Verum non solum ad hanc ciuilem uitam bene & sapienter instituendam nobiles disciplinæ ualent: sed etiam ad Religionem, in qua salutis nostræ sempiternæ ratio consistit, sunt pernecessariæ. Quis enim cœlestem doctrinam uerè & perspicuè explicabit? Quis grauissimas in ea controuersias expediet? Quis horribiles illas dissidentium opinionum procellas, quibus nauicula Christi iactatur, sedare poterit, nisi doctrina atq; optimarum artium studijs sit eruditus? Profecto

fecto ubi Ecclesia doctoribus literatis destituitur, ibi simul & Religionis foeda confusio, & uinae Domini miserabilis dissipatio sequitur. Nam lux caelestis doctrinae obscuratur: pugnantia traduntur: falsa pro ueris arripiuntur & probantur: uerus Sacramentorum usus exolescit: Christianae conciones intercidunt, omneque impietatis genus in Ecclesiam irrepit, atque in ea cum aeternae salutis iactura propagatur. Quid? an non superioribus seculis, cum literae contemptae iacerent, simul & religio uarijs erroribus & tenebris circumfusa latuit? Hac uero aetate, cum Deus Opt. Max. caelestem ueritatem e tenebris & superstitionum caligine, in lucem reuocare constituisset, nonne literarum quoque lumen simul accendit? cuius ope & praesidio ueritas illa defenderetur, et disiunctissimas terras breui temporis spacio peragraret & illustraret. Constat itaque, & Ecclesiae & Imperijs ac liberis pacatisque Rebus publicis literarum propagationem summè esse necessariam: quippe sine his nec Religionis puritas consistere, nec Iustitia & Pax conseruari, nec denique uitae humanae salus & commoditas diuturna & stabilis esse queat. Quod cum ita sit, quis non iure summis laudibus euehat illos, qui ut Ecclesiae & Reipub. commodis & dignitati consulant, omnem operam, consilium & studium suum ad nobiles disciplinas ornandas, amplificandas & propagandas conferunt: & alios quoque ad idem officium exemplo suo incitare conantur. Hoc quidem uos, Amplissimi Domini Scholarchae, ceterique inclyti ordinis Senatorij, prudentissimi Viri, nobis perpetua obseruantia colendi, egregie praestatis, dum non solum urbes uestras muris, custodijs, uigilijs,

gilijs, tormentis : sed etiam scholarum praesidijs munitas esse uultis. Neq; enim satis esse putatis ad Imperij uestri dignitatem, ad urbis uestrae autoritatem, ad Ciuium uestrorum salutem & utilitatem : si aditus atque insidiae hostibus sint interclusae : si lignis & lapidibus uestra Metropolis sit munita, quò facilius hostiles impetus sustinere & propulsare queat : nisi etiam uitiorum fallaces & obliquae uiae obstruantur, & eruditis hominibus scholae armentur, contra barbariem & improbitatem : armentur inquam, sed legibus & institutis, artibus & disciplinis, praemijs atq; honoribus. Itaq; magno sumtu & multo labore hoc pulcherrimum Gymnasium, uelut commune quoddam uestrae ditionis armamentarium constituistis, in quo existerent, qui in acie contra barbariem & ignorantiam, aduersus impietatem ac improbitatem subsistere, & pietatis doctrinaeq; studia defendere ac propagare possent. Et quo hoc pium & praclarum institutum indies longius & felicius procederet, accersuistis atq; huic scholae praefecistis Viros, prudentiae & fidei & doctrinae & religionis & moderationis laude celebratos : qui iam & bonis moribus iuuentutem erudiant, & optimas quasq; disciplinas tradunt. Non solum enim eruditas linguas eleganter interpretantur, & artes dicendi, quarum una est puritatis, altera ueritatis, tertia splendoris, diligenter explicant : uerum etiam Theologiam, quae reliquarum regina est & moderatrix, accurate explanant. His iam accedet etiam Institutionum Iuris & Mathematicarum disciplinarum breuis, perspicua & exquisita explicatio : adeoq; nihil in hac schola deerit, quod ad iuuentutem pietate & mor

Et morum probitate informandam, Et literarum monumentis erudiendam, Et artium doctrinis expolendam pertineat. Hæc beneficia profectò sunt tanta, tamq; præclara, ut etiam omnibus militaribus triumphis anteponenda esse uideantur. Neq; enim popularis est uirtus: imò summorum uirorum Et illustrissimorum hominum propria est liberalium doctrinarum defensio Et propagatio: ex qua maior quàm ex hostibus superatis gloria emanare solet. Nam quo res quæq; est præstantior, utilior ac difficilior, eo laudabilior quoq; Et gloriosior est censenda. Virtuti. n. ac labori par præmium debetur, sine quo industria languescit, Et pleraq; laudandarum rerum studia debilitantur, frigent Et intereunt. At literarum cognitionem militari disciplinæ antecellere quis dubitat? Hæc enim humanas duntaxat res tractat: illa uerò simul Et diuinas Et humanas complectitur: hæc corporum est, illa animorum: quantum uerò animus corpori præstat, tantum literarum scientia militari peritiæ antecellit. Quis ignorat præterea, ingentia sæpe damna per homines militares Reipub. fuisse importata? quæ sanè nisi sapientum Et eruditorum hominum consilio Et industria fuissent repressa atque repulsa, statum Reipub. penitus subuertissent. Quid? quod sapientia à summo illo rerum omnium opifice ortum duxit: at ars militaris tum demum fuit inuenta, cum homines, imperandi cupiditate incensi, rempub. in summas angustias coniecissent, atq; iura diuina pariter Et humana labefactassent. Ad hæc militia tyrannidem sæpe alit, auget Et sustentat: sed eruditio Et doctrina semper pacis est socia, Et ea proponit ac suadet, quæ ad hominum

minimum

minum salutem conseruandam spectant. Ad extremes
mum uictoriae gloria fluxilis est & caduca: & quae
terra militum corpora, eadem quoque ipsorum nomina
obruit & tegit: at eruditionis laus non metuit mortali-
tatem, nec temporum spacijs definitur, sed perpetuo
uiget. Quid porro laboriosius? quid difficilius? quid
uilius est, quam ignorantiam tollere, barbariem e
scholis propulsare, impietatem ex religione eijcere?
qui hostes sunt humanae societatis acerrimi & potens-
tissimi, à quibus grauisima quaeque incommoda in im-
peria ac ciuitates inuehuntur. Ex quibus conficitur
multo ampliorem esse laudem & gloriam, quae ex scio-
entia literarum existit, quam eam, quae ex arte milio-
tari proficiscitur. Itaque & uos, Amplissimi Viri, ex
hoc literarum patrocinio, ex hoc uestro praesidio, in
quo Musae hoc difficilimo tempore conquiescunt, glo-
riam maximam et sempiternam consequemini: praeser-
tim cum nihil tam in omnes partes fusas utilitates ha-
beat, quam Scholarum salutaris constitutio. Ex ea enim
non patria tantum, & subditorum liberi: uerum et
iam uicinae prouinciae, & exterarum nationes, pulcherri-
mos flores suauissimosque fructus animaduertere &
percipere possunt. Quid enim schola bene constituta
est aliud, quam foecundum & amoenum seminarium,
in quo omnis generis plantulae tenellae conseruntur,
quae adultae futuris aetatibus prodesse queant? Vel et-
iam quid aliud huiusmodi schola, quam quidam optis-
marum artium mercatus, ad quem proficiscuntur, qui
pectus suum maximarum & pulcherrimarum rerum
suauitate, copia & uarietate onerare atque complere
uolunt? Multi ad Nundinas Francfurtenses, ad mero-
catum

catum Lipsensem confluunt, indeq; uarias ac pretiosas
merces, quibus postea uel ad necessitatem, uel ad orna-
tum, uel ad luxum homines utuntur, secum asportant:
at nulla ipsarum est, quæ cum mercibus, quas homines
studiosi è scholis secum deportant, quales sunt uita
Deo & hominibus probata, mens erudita & prudens,
lingua diserta & sapiens, memoria antiquitatis re-
rumq; optimarum cognitione instructa, conferri pos-
sit. Nam uera eruditio merces Nundinarum, quan-
tumuis pretiosissimas, & dignitate et utilitate et suas-
uitate et diuturnitate longè superat. Has enim partim
corporis tegendi & ornandi ratio, partim etiam cupi-
ditas siue luxus excogitauit: Illam uerò ipse Deus
ad salutem societatis humanæ, atq; ad rerum in uita
maximarum conseruationem tribuit atq; concessit.
Has plerunq; sectantur & diligunt isti, qui congeren-
dis, non distribuendis opibus officium impleri existi-
mant: Illam uerò optimi quicq; ac etiam summi ordi-
nis homines expetere, amare ac sibi comparare solent.
Quid? quòd ut mercatura singulis serè tantum pro-
dest: ita non rarò instrumenta nequitie suppeditat,
hinc immoderate usuræ, iniqua pretia & æstimatio-
nes, corruptæ & adulterinæ merces, fraudulenta mo-
netæ tractatio, & mentiendi, decipiendi, peierandi
fallendæq; fidei licentia: quæ omnia persepe tam em-
tores, quàm uenditores in summas angustias cõijciunt,
atq; etiam ad restim interdum redigunt. At uero eru-
ditio semper honorifica & salutaris existit, & qui-
dem non priuatis tantum: uerum etiam publicis re-
bus. Hæc omnem ætatem ad uirtutis studium informat:
prauos affectus corrigit: falsum refellit, uerum ap-
C probat

probat atq; tuetur. His accedit, quod merces omnibus
fortune telis propositæ sunt: quippe quibus & uis &
insidia & incendium, æstus, frigus, aliq; incommoda
nocere possint, & quas tandem ipsa temporis uetustas
conficiat & consumat. Sed eruditio, Virtutis præsidio
munita, in tuto est locata: siquidem nec incendio ab-
sumi, nec furto surripi, nec ui eripi, nec alia quauis ca-
lamitate perire possit: sed usq; ad uitæ finem nos com-
mitatur. Hinc & illud sequitur, ut mercatura cum
perpetua cura metuq; sit coniuncta: at eruditio sem-
per animum oblectet, timores pellat, summamq; anis-
mis tranquillitatem pariat. Quid multa? scholæ nihil
sunt aliud, quam præclara Emporia, optimis & uti-
lissimis mercibus refertissima, è quibus non uestes seria-
catae aut bombycinatae, aliæq; huius generis res uenas-
les, quæ ad corporis duntaxat cultum pertinent, pro-
muntur: sed merces literatae, quæ animum sapientias,
linguam Eloquentia, uitam uirtute ornant: & Rem-
pub. & Ciuilem & Christianam amplificant, & ad-
uersus omnis generis calamitates muniunt atq; defen-
dunt. Etenim ex benè conformata scholarum disciplina,
Ecclesiæ homines sancti, religioni doctores literati,
Sacramentis sacerdotes p̄ij, Consilijs uiri prudentes,
Scholis eruditi magistri, Rebuspub. ciues pacatis
honorifici atq; utiles existere solent. Quam multipli-
cem utilitatem etiam hæc schola uestra, Viri ampliss-
mi, non Patriæ duntaxat, sed exteris quoq; nationibus
pollicetur. Nam multi, qui ex uicinis prouincijs et ex-
teris etiam regionibus, excolendi ingenij gratia, se huc
contulerunt, & ut spes est, magno numero conferent:
huius uestri beneficij fructum abundè percipient: atq;

ita

ita fiet, ut non solum in Rempub. uestram singulare
hoc atq; diuinum meritum extet, sed etiam plures na-
tiones sempiterna beneficij memoria uobis deuincian-
tur. Cæterum, ut scholæ instituantur & benè confor-
mentur, non solum literarum dignitas & utilitas sua-
det, & subditorum obseruantia flagitat: uerum et-
iam incommodorum & præsentium & impendentia-
rum magnitudo postulat. Nam quanta religionum sit
perturbatio, & quæ impietas adhuc immineat, nemo
bonus absq; acerbissimo animi dolore non uidet. Quis
non animaduertit & intelligit (ut de alijs sectis iam
taceam) quibus artibus ista Theatinorum familia in
nostram Germaniam irrepserit? quàm dolosè multo-
rum Principum animos occuparit? quàm callidè et-
iamnum domicilia quærat & constituat? quibus con-
silijs ueteres suas superstitiones ab inferis reuocatas,
stabilire conetur. Et certè non facile à suo nefario con-
atu isti simulatores depellentur, nisi scholæ nostræ ad-
uersus ipsos Literatis hominibus armentur et instruân-
tur. Deinde et ipsa barbaries nobis minatur, et gaudet
opportunitatem regni occupandi sibi obtigisse, in hac
neglectione uel potius contemptu optimarum artium
& disciplinarum, atq; in tanta omnium rerum per-
turbatione, quæ eam secum commutationem allatura
uidetur, ut plerisq; in locis, pro Pallade & Musis,
Martem furiasq; simul habituri. Sunt enim iam tem-
pora plena periculi, plena tumultus, plena calamitas
tum. Et pleræq; Academiæ & scholæ, quamuis tran-
quillæ & ab armorum strepitu remotæ, tamen nescio
quo fato iam languescunt, ac paulatim dissipantur:
ita ut naturales quædam Rerumpub. Conuersiones es-

se uideantur. Quare, Amplissimi Viri, summam & sempiternam laudem meretur hoc studium uestrum, quod in conseruanda religionis pietate, & in disciplina Scholarum benè conformanda & retinenda, collocatis: quodq; imprimis id spectatis, ut ditio uestra non tam armis & legibus, quàm Pietate & doctrina munita sit atq; ornata. Pergite sic, amplissimi Viri, hoc Musarum Domicilium præclarè institutum constanter amplificare, ornare atq; defendere, nec finite uestros salutare conatus ab illis, quibus chara est ignorantia & barbaries, impediri, nec præclaram uoluntatem à tam laudabili proposito callidè auerti. Sic enim efficietis, ut nunquam scholis & Ecclesijs & Rebuspub. desint, qui religionem ab hæresibus defendant, qui in acie contra barbariem atq; ignorantiam subsistant, qui inter homines iustitiam & pacem tueantur. Qua in re optimè Dei & Iesu Christi Ecclesiæ inseruietis, optimè societatem hominum adiuuabitis, optimè posteritati consulētis, atque etiam uobis uerum ac immortale decus ac gloriam comparabitis. Quicumque enim ex hoc uestro beneficio in studijs litterarum aliquid præclari fuerint consecuti, id totum ad diuini nominis gloriam, ad Reipub. salutem, et ad laudes uestras celebrandas conuertent, atq; ita nulla unquam ætas de uestris laudibus conticescet. Sed iam satis de Amplissimi Senatus nostri beneficijs, quæ neminem uestrum ignorare potest, dixisse uideor, præsertim cum & clarissimus D. Rector de ijs copiosè splendideq; dixerit, ac tempus etiam finem orationi constituere uideatur. Itaq; nunc ad gratulationem, quæ Clarissimis Viris, D. Rectori & Mathematicum professori debetur

ur, progrediar. Humanitatis est, ut alter alterius fortuna afficiatur, eaq; uel doleat, si sit afflictata: uel lateatur, si sit prospera atq; florens. Et hoc maximè fieri decet inter eos, qui aliqua uitæ necessitudine sunt coniuncti. Hos enim non solum humanitatis uis, sed etiam coniunctionis quædam ratio impellit, ut utramq; fortunam sibi communem esse existiment. Cum igitur, Deo Opt. Max. sic uolente, amplissimus noster Senat^{us}, Viri doctissimi, uestra præclara fama commotus, uos huc ascuerit, atq; in summo huius Gymnasij gradu collocarit, profectio optimam nobis causam suppere existimamus, quamobrem de hoc eximia uestro honore, quem hoc tempore estis consecuti, uobis gratulemur. Hoc enim non tantum liberales disciplinae, quarum communio nos iam pridem iunxit, uerum etiam muneris societas, qua hodierno die mutuò deuicimur, postulat. Quamobrem uobis, Clarissimi Viri, nomine totius huius Collegij uehementer gratulor, primum de præclaris animi bonis, quæ rerum omnium bonarum autor Deus in uos contulit, nimirum de singulari uirtute, summa eruditione, eloquentia, et famæ celebritate, quæ sanè sunt tanta, ut publico sermone honos ipsis habendus esse uideatur. Sed has partes suscipere uobis præsentibus mihi integrum non puto, tum quòd ipsi, quæ uestra est modestia, id minimè requiritis, tum quòd gloria uestra ita est nota, ita monumentis expressa atq; testata, ut meam prædicationem nequaquam admittere uideatur. Quin potius hoc unum exoptandum puto, ut qui uos tam eximijs dotibus ornauit, idem uelit ipsarum fructum humano generi salutarem et maximè diuturnum esse. Deinde gaude-

mus etiam, uehementerq; omnes letamur de muneribus atq; officijs uobis in hoc Gymnasio attributis: & à Deo immortalis precamur & optamus, ut omnis labor uobis non solum leuis, iucundus & honorificus, uerum etiam toti huic scholæ & alijs quàm plurimis utilissimus existat: uobis inquam, qui recte factorum fructum à Deo potius, quàm ab hominibus expectandum, omnemq; laudem non in uerbis, sed in ipsa uirtute constituendam existimatis. Et quoniam in scholis mutue operæ, eadem consilia, & consentientes uoluntates esse debent, sanctè uobis, Viri clarissimi & amici honorandi, sanctè, inquam, uobis pollicemur, summam fidem, debitam obseruantiam, singulare studium & operam, omnisq; generis officia, quæ ad uoluntatem, ad commodum, ad dignitatem uestram pertinere intelligemus. Inprimis uerò tibi, præstantissime Freigi, huius scholæ Rectori, me meosq; Dominos Collegas, & hunc uniuersum Gregem Scholasticum diligentissimè commendo, & etiam atq; etiam rogo, ut nos pari beneuolentia complectaris, consilio iuues, autoritate defendas, & ope subleues. Constat nobis de tua singulari humanitate, quam natura animo tuo ingenerauit, doctrina auxit & confirmauit, consuetudo perfecit. Cognita atq; perspecta nobis est tua singularis eruditio, prudentia, ratio atq; uia, qua in tradendis disciplinis, & in erudienda iuuentute uti soles, quæ ut lata non est, neq; multorum uestigijs hoc tempore notata, ita maximè plana est & expedita, in qua nullus error, nulla offensio, nullum impedimentum iuuentutem auertere aut retardare possit. In hanc semitam nos quoq; manu tua, hoc est, methodo præhensos ducas,

ducas, consilio dirigas, atq; lumine tuæ prudentiæ eò
perducas, ubi laus solidæ eruditionis est posita. Nosti,
quibus difficultatibus superioris ætatis consuetudo doc-
cendi rationem circumsepsit, & quibus sæpe scopus
listam docentium quàm discipulorum industria etiã
num adhareat, benè intelligis. Itaq; facillè (ut spero)
in rebus dubijs, obscuris, & in aliqua difficultate con-
stitutis, ad nos accurre, nos expedies, omniq; labore
& molestia releuabis. Nos uerò uicissim tibi ad clas-
sum sedenti, ut sapienter iam dixisti, nostra remigia
adiungemus, hoc est, uoluntatem nostram ad tuam ag-
gregabimus, te in oculis feremus, consilia tua seque-
mur, monitis tuis obtemperabimus, et pro uiribus con-
nitentur, ut quemadmodum liberales disciplina, qua-
rum professio in scholis uiget, amicè conspirant, &
mutuis operis consociatæ sunt: ita nos quoq; animis
nostris uirtute & officio deuinctis, studia nostræ ad
huius Gymnasij dignitatem & utilitatem amplifican-
dam conferemus, atq; ad eò unà elaborabimus, ut iu-
uentus saluberrimis præceptis ad pietatem, uirtutem,
sapientiam & orationis elegantiam informetur: in-
deq; Respublica Christiana & Politica uberrimos
suauissimosq; fructus percipiat & consequatur. Quod
ut eueniat, tu effice æterne Deus, cuius unius à uolun-
tate pendent omnia: tu, quæso, animos nostros radijs
tuæ diuinitatis illustra, ut ueritatem tuam cognosca-
mus, sequamur & teneamus: pietatem colamus: in
bonis artibus & disciplinis tradendis ac percipiendis
nos exerceamus, atq; humanæ societati tantisper uti-
liter inseruiamus, donec uitæ huius munere perfusa
Et, ex terrestri et umbratili hoc Gymnasio educamur.

Et in illa cœlesti schola ac luce sempiterna collocati,
cum cœlestium animorum cœtu, omnibus bonis affluente,
coniungamur. DIXI.

ELEGIA
CONTINENS COLLO-
CVTIONEM LITERARVM ALV-
mni cum Musis, de solenni introductione
Ioannis Thomæ Freigh, I. V. Doctoris, Re-
ctoris secundi, in celebre Noribergensium
Gymnasium, Altorfñ extractum &c. quæ fa-
cta est anno à Natali Christi clō. Io. Lxxvi.
die S. Andreæ, in honorem eiusdem, & ipsi-
us quoq; Senatus Noribergensis laudem
à Georgio Pulmanno B. ibidem
docentium collega,
conscripta.

Alumnus



Laudite Pierides, castissima numina, Musæ
Et uiridi uestras cingite fronde comas.
Ludite iam faciles, licitum est, iam plaudite
te ouantes,

Deq; nouo letos ducite more choros.
Lugubrem monitæ deponite corpore cultum,
Mollia nunc habitus contegat ossa nouus.
Non superest luctus, nec tristis causa doloris,
Quin noua lætitiæ iam dare signa decet.
Res modò uestra agitur, conamine (credite) tanto,
Vt nequeam numeris commemorare meis.
Aldorifum nostis, Proceres & Noridos urbis,
Ipforumq; nouæ splendida fulcra scholæ.

Hic

Hic inquam uobis, ambagibus inde remotis,
 SACRA parat studijs dedita turba bonis.
 Noriaciq; simul uenerabilis ordo Senatus
 Hic agit at festum non sine laude diem.
 Gymnasiq; sui, diuino munere aperti,
 Insigni tradit sceptrum gerenda uiro,
 Qui replet uestras rursus non segniter artes,
 Doctrinae & studij nobilioris opes.
 Arreptis ergo fidibus Citharisq; sonoris,
 Hinc una celeri tendite quæso gradu,
 Ut tantum merito SACRVM peragatur honore,
 Et fiant tanto debita uota uiro.
 Adsumus en omnes, adsunt & Musica pleetra,
 Quid fieri à nobis, pulcher Alumne, cupis?
 Hoc inquam, Aonia, cupio, mea gaudia, Musæ,
 Hoc unum tandem supplice uoce peto:
 Ut lyra uestra sonet laudem Rectoris in ipsam,
 Qui noua Gymnasi sceptrum ferenda capit.
 Nomine post illi nostro optima quæq; precetur,
 Quò ualeat fato prosperiore frui.
 Iusta petis, uotis ergo respondeat æquis
 Euentus, nullo nunc prohibente, tuis.
 Vade ualeq; diu nobis charissime Alumne,
 Atq; tuas nostris iunge subinde preces.
 Heus tu Melpomene cantus modulamine præstans,
 Et docta pangens carmina grata cheli:
 Perge uiri laudes, res est cui Musica cura,
 Dicere, tum numeris fausta precare tuis.
 Clare Vir Aonia salue spes maxima turbae,
 Pierij salue dux adamande chori,
 Cuius iam fidei gaudens Respublica tradit

Musæ, uel
una ex eis.

Alumnus.

Musæ, uel
una ex earum
choro.

Calliope ad
Melpome-
nen.

Melpomene.

Norica iure suæ sceptrâ uerenda scholæ.
Non inquam temerè, potius sed munere nostrè
Ordinis, hæc statuas hac ratione geri.
Quod superest igitur, cœtus moderamina nostrè
Tradita sume tibi non reuente manu.
Quodq; facis, nostram complectere amore cateruam,
Quaq; fide par est erudisse stude,
Ut rursus nostras instaures sedulus arte,
Huc reuocans sacras ex Helicone Deas.
Gloria ne generis nostrè fortè occidat omnis,
Sed uigeat studio non sine laude tuo.
Præmia digna feres, tantisq; laboribus æqua,
Si fueris functus munere ritè tuo.
Difficile est (fateor) lætam formare iuuentam,
At certè (ut nosti) commoda multa parit.
Altitonans ergò acceptas moderetur habenas,
Correctorq; simul sit precor ipse tuus.
Det quoq; sic tandem, feliciter omnia cedant,
Semper & eueniant prospera quæq; tibi.
Ipsius ut toto nomen clarescat in orbe,
Gymnasiq; tui floreat inde decus.

PRIMA

PRIMA PA=
NEGYRIS AL-
TORFIANA,



Anno

cl. Io. LXXVII.

CELEBRATA.

PROGRAM=
MA PP. PRIDIE DI=
VORVM PETRI ET
PAVLI.

*Rector Gymnasij Altorfiani
Studiosis S.*

SOLON PRVDENTISSI-
mus Atheniensium legislator,
Rempub. duabus rebus conti-
neri dicebat, PRÆMIO &
P O E N A. Quod quanquam vir ille sum-
mus de politico hominum coetu dixit: non
video tamen, cur non etiam de Repub. no-
stra literaria idem dicere liceat. Nam in hoc
philosophico ordine non minus quàm in ci-
uili statu, hominum virtutes & benè facta in
luce collocanda: omni genere honoris &
præmiorum remuneranda: & aliorum ex-
emplo alij ad virtutis decus & laudem inci-
tandi ac commouendi sunt. Cum itaq; pro-
ximis diebus, instituto per Gymnasium no-
strum examine, adolescentum, nostræ disci-
plinæ commissorum, ingenia & mores ex-
plorauerimus: & ex his quosdam non tan-
tum superioribus censibus, sed & præmijs
dignos inuenerimus: ex voluntate & auto-
ritate nostrarum legum, solennem Panegy-
rim

rim in crastinum diem, DD. Petro & Paulo
sacrum, indicendam statuimus: vt & hono-
rum & præmiorum largitio illis, qui ea me-
riti essent, tribueretur. Quamobrem omnes
& singulos studiosos rogatos volumus, vt
cras tempestiuè ad Gymnasij xystum se
conferant, nos ibidem expectent, ad sacram
concionem comitentur, & ea finita, Pane-
gyri in *βραβευτηρίῳ* frequentes ad finem
vsq; intersint. Quod eos pro ea, quæ stu-
diosos obedientes decet, obser-
uantia facturos confidi-
mus & spera-
mus.



ORATIO

ORATIO RECITATA A

IOAN. THOMA FREIGIO

I. V. Doctore.

Non ignoro, Viri amplissimi, generis nobilitate, eruditione, prudentia præstantissimi, uosq; auditores: in loco ad agendum amplissimo, ad dicendum ornatissimo uerba facturum, nil nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, grauitate & nouitate insigne asferre debere. Prudenter enim & rectè à morum uitæq; magistris traditum est, in omni officio & munere considerandum, diligenterq; animaduertendum esse, quid aptum sit: quid personis temporiq; consentaneum. Cum itaq; in hac prima Panegyri (quod felix faustumq; sit) Noribergensis Reipub. præstantissima lumina, quorum neq; opes, neq; honores, neq; generis & nobilitatis stemmata in occulto esse possunt, aspicio et considero: satis intelligo id quod tanta huius loci & confessus auctoritas etiam tacita loquitur, nullum argumentum, nisi si grauitate præstans, aut nouitate iucundum, tam eruditus & politus auribus esse obijciendum. Ne quis ergo uestrum miretur, me in leuiore aliquo argumento uersari ita uoluisse, ut relictis grauioribus historicorum, philosophorum, iurisperitorum disputationibus, puerilis alicuius argumenti materiam selegerim, et in hoc theatrum uulgarem aliquam & tritam de classicis ordinibus & Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicæq; laudibus declamatiunculam adduxerim: is, si negotij totius rationem secum considerauerit, unà & quod facio probabit, & in hoc argumento consilium nostrum minime

minimè reprehendendum putabit.

Nostri Gymnasij legibus ita comprehensum nostis, ut singulis annis hoc ipso die, quo hanc primam Pænegyrim celebramus, studiosorum literis & bonis artibus deditorum adolescentum, in quibus præclarior imdoles & studiorum maiores fructus apparent, progressio instituat: ita tamen ut legitima & solennis tum in moribus tum in eruditione exploratio antecedit. Cum ergo superioribus diebus ego & collega mei doctissimi ijdemq; humanissimi, nostri literarij populi opes ingenij, moresq; animi recensuissemus: plerosq; tales depræhendimus, ut ex inferioribus quasi tribubus altius ascendere, et in superiores classes transferri debere existimauerimus. Quamobrem adeste animis æquis, & si quam expectationem de magnifica aliqua causa habuistis, eam deponite: & ad studiorum nostrorum iuuentilem considerationem iudicationemq; uos demittite. Nam si unquam de fructu uestre liberalitatis: si unquam de spe & expectatione, quam de schola uestra concepistis, certius iudicandi potestas uobis fuit: hoc profecto tempore potestatem optimam habetis, ut statuatis, an rectè ab initio hanc scholarum constituendarum cogitationem susceperitis, & an susceptam in posterum retinere uel abijcere debeatis. Quid enim eo labore & sumtu, cui nullus fructus respondeat, ingratius aut inutilius? quid è contra, cum digna operæ precia sequuntur, gratius aut utilius? Cum igitur hanc puerilem & quasi ludicram causam in hoc amplissimum theatrum hodie adduxerimus: in re & causa puerili, argumentum quoq; puerile mihi suscipiendū tractandumq; existimaui: eoq; magis quòd tanta

ta ma

Ita ingenij mei uis non est, ut, etiamsi uelim, possim quosque in aliquod maius argumentum excurrere. Statui igitur hoc quidem tempore (nam fortasse aliàs lautius aliquid fiet) primum de nostræ literariæ Reipub. classibus dicere: deinde adolescentes istos in ipsam aciem & castrensem puluerem educere.

Quod ergo ad classes attinet, non modò philosophos, sed & præstantissimos quosq; populos, in ciuium suorum distributione, hanc per classes diuidendi uiam rationemq; tenuisse uideo. Plato libro VI. de Legibus ciues suos in quatuor τμήματα (sic enim Græci uocant, quas classes Romani dixerunt) diuisit, ex quibus is, qui quatuor minas, hoc est, quadraginta scutatos nummos possideret, primi census: qui tres, secundi: qui duas, tertij: qui unam, quarti infimiq; census haberetur. Quòd si quis præter hæc, aliud aliquid possideret, id omne publicum esset. Sic enim ait ille philosophorum Deus: ὁ μὲν μέγιστον τμήμα ἔχων, τετάρων μινῶν. ὁ δὲ δεύτερον, τριῶν: ὁ δὲ τρίτον, δύοῖν μινῶν. μινῶν δὲ ὁ τέταρτον. εἴπερ δὲ τις ἕτερον φαίνεται ἢ παρὰ τὰ γεγραμμένα κεκτημένος, δημόσιον μὲν ἔστω τὸ τοῖστον ἅπαν. Aristoteles quoq; in Politicis, Atheniensium populum à Solone in quatuor τέλη seu classes diuisum fuisse, scribit: quarum superiores tres nobilium & diuitum fuerint: prima quidem τῶν πεντακοσίων ἐδίμνων, hoc est, eorum qui censum quingentorum medimnorum seu mille amphorarum haberent. Secunda eorum, qui Græcè Ζευγίται, Latine quasi iugarij dicebantur. Tertia uerò ἰππῶν, hoc est, equestris appellabatur. Quarta deniq; & infima erat opificum & mercenariorum, qui ad magistras

magistratus non admittebantur : eaq; uocabatur ῥ θησ
πικὸρ. Eadem ferè à Plutarcho in Solone scribuntur
his uerbis : ἑὸν ἐν ξηροῖς ὄμου καὶ ὑγροῖς μέτρα
πεντακόσια ποιῶντας, πρῶτους ἔταξε ἢ πεν-
τακωσιομεδίμνης προσηγόρευσε. δευτέρως δὲ ἑὸν
ἵππων τρέφειν δυναμένων ἢ μέτρα ποδῶν τρια-
κόσια : καὶ τρίτος ἵππῶν τελευτῶντας ἐκάλει.
Ζευγίται δὲ οἱ τῶ τρίτῳ πημήματι ὠνομάσθη-
σαν : οἷς μέτρον ἢ συναμφοτέρων τριακωσίων.
οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ἐκάλουντο θῆτες, οἷς ἔδε-
μίαν ἀρχὴν ἔδωκεν ἀρχῆν. Eodem ferè tempore,
quo Solon Athenienses in quatuor census, Romæ quoq;
Seruius Tullius V I. Rex populum Rom. uniuersum
iureiurando ad actum fortunarum suarum aestimatio-
nem apud se profiteri coëgit, eumq; ex censu in quinque
classes diuisit : nam sextæ (quæ proletariorum ἔ κα-
piteensorum fuit) nulla ratio habebatur. A quo mo-
re censendi, Romanis classici dicebantur non omnes
qui in classibus erant : sed primæ tantum classis homi-
nes, qui centum millia æris, hoc est, mille coronatos,
ampliusue in censu professi essent. Infra classem autem
appellabantur, qui in secunda ἔ sequentibus classis-
bus erant, hoc est, qui minore summa censi erant. Et
hinc etiam classici testes dicebantur, qui signandis tes-
tamenti adhibebantur, hoc est, primæ classis homi-
nes, quasi primæ autoritatis ἔ idonei ueritatis spon-
sores, omniq; exceptione maiores. Vnde ἔ autores
classici à Gellio dicti sunt, quasi idonei Latine purita-
tis testes, ἔ primæ notæ scriptores, ut sunt Cicero, Cæ-
sar, Virgilius, Terentius.

Hanc à philosophis ἔ politicis, ciuilibus populi dis-
tributio

D

tributio

tributionem, schola postea secuta sunt, & ex omnibus
quidem, quas nosse & de quibus audire potui, prima
Parisiensis fuit, quae sui populi ciues in certas classes
pro ingenij diuitijs & opibus distribuit: quam Parisi-
ensem, Argentinensis deinde, eandemq; haec nostra
imitata est. Quamobrem sicut in Platonis distributio-
ne, ij qui unius minae fortunas possident, infimi census
sunt: ita in hac nostra Repub. ij, qui unam artem, La-
tinam scilicet Grammaticam tenent, quarta classis
sunt: qui duas, hoc est, Grammaticam Latinam cum
Graeca, tertiae: qui utramq; cum Logica, quasi trium
minarum diuitias adepti sunt, secunda: qui deniq; tres
illas cum Rhetorica coniungunt: primae classis ciues
sunt: si qua plura & lautiora artium patrimonia ab
his possidentur: ea non amplius priuata, sed publica
censentur. Et quemadmodum apud Rom. census eam
formam habuit, ut singuli ciues singula praedia tam
urbana quam rustica, seruorum item, pecudumq; nu-
merum & pecuniae uim, fundorumq; instrumenta sig-
gillatim profiteri cogerentur: eaq; omnia in censoria-
as tabulas referrentur: ita nullus nostrae Reipub. mu-
niceps est, qui non sui ingenij opes & patrimonium
apud nos profiteri cogatur, & pro censu suo in album
municipum scribatur: planeq; in ea re formam censu-
alem, de qua Vlpianus in l. forma ff. De censibus, lo-
quitur, obseruamus. Sicut enim agri in censum ea for-
ma referebantur, ut exprimeretur nome fundi cuiusq;
& in qua ciuitate & quo pago esset, et quos duos ui-
cinos proximos haberet: & aruum, oliuetum, praes-
tium, quot iugerum esset: uinea quot uites haberet:
ita nos, quasi Vlpianeis censitores, ciues nostros profi-



terri cogimus, cuius artis tanquam agri cultores extite-
rint: quàm latis terminis fundum suum exarare soliti
sint: quot doctrinae & exercitationis iugera confecerint:
quarum artium confinia colant, quos aliarum
artium uicinos habeant: & si qua agri literarij por-
tio uel ager totus negligentiae alicuius chasmate aut
calamitate perierit: eam eumque per diligentiam no-
uam restituere & renouare cogimus. Hæc igitur pu-
erilis nostrae causae prima pars est de Classibus: sequi-
tur, ut alteram partem aggrediamur, nostrosque toga-
tos milites, quos in aciem uelut eduximus, uelitatione
aliqua leui suae uirtutis specimen, idque puerile, edere
iubeamus. Atque hic imprimis illa cogitatio uestra, cuius
initio mentionem feci, deprecanda mihi est, ne scilicet
augustum, neue magnificum aliquod, sed iuuenile
duntaxat opus expectetis. Nam de trium artium pri-
marum laudibus nos acturos & uerba facturos profes-
temur. Quam ad rem, ego ex earum doctrinarum ef-
fectis miracula ipsarum repetenda mihi duxi: adole-
scentibus ipsis laudem earum ex parentibus & auto-
ribus, qui historicorum annalibus proditi sunt, deducendam
committam. Ut igitur, quod ad Grammaticae
artis miracula attinet, linguarum uariarum distincti-
onem illam, quae ad Babylonicam turrim accidit, praeter-
mittam: ut effusum linguarum ignearum specie Spi-
ritum S. taceam: quantum quamque admirabile & stu-
pendum illud est, quod paucissimarum literarum notis
uocum infinitarum symbola continentur, et sensa mentis
nostrae, cogitationesque animi illo ceu communi Mercurio
enunciantur? Itaque non immerito populis Orienta-
libus, & in nouo (quem uocant) orbe nostra aetate per

periculosas & antea inusitatas nauigationes repertis,
nihil admirabilius uisum est, quàm parua aliqua chara
ta, paucissimis notis distincta & quasi interpuncta, de
his rebus, quæ in diuerso orbe & quasi altero Demos
criti intermundio, gererentur: certiore sic fieri, ut
non hæc oculis legere, sed charta quasi narrante auris
bus percipere uidearis. Sed illud longè mirabilius est,
quòd apud Varronem Cosconius uocis unius fœcundita
tatem tantam est ratiocinatus, ut ex ea quingentas in
flecteret: etsi parùm accuratè uel Varro uel Cosconia
us ille. Si enim unicam dictionem (Doceo) diligentius
obseruasset: mille, sexcentas, quinquaginta (quibus
omnibus longè Varronis ubertas superatur) deducere
potuisset. Quòd si maioris fœcunditatis uocem sumse
ris, ut exempli gratia uerbum Duco (cuius septende
cim composita adnotantur) ex una uoce, uocum supra
millia quatuor efficies. Quamobrem Varronis ingeo
nium, etsi non omnia accuratè perspexit, laudandum
tamen & admirandum est, quòd illa Grammatica mi
racula, & Grammaticarum flexionum præclaras istas
& singulares utilitates exquisierit, ut artis huius stu
diosi intelligerent, quantam sermonis usuram, quan
tum orationis fœnus, quantam ubertatem natura ho
minibus illa flexione uocum suppeditarit. Iam artis
Rhetoricæ uis quanta sit, ex Platonis locis uarijs inteli
ligi potest, qui hanc ipsam artem propter mirabiles
effectus, quos habet, ὁ ἴσοπώριον, καὶ μεσοπώριον, καὶ
λακκώριον, γονπώριον, hoc est, quandam obsonandi, sus
candi, adulandi, incantandi peritiam appellat. Et quia
dem nullum est uel condimenti, uel fuci, uel adulationis,
uel incantationis genus, quo rudes illi & imperiti
auditores

auditores facilius quàm Rethoricis ornamentis, ad idoneam sententiam accommodatis, gestu præsertim & corporis uenusto motu accedente, capiuntur. Vnde à Platone $\psi\upsilon\chi\alpha\gamma\omega\gamma\omicron\varsigma$, id est, flexanima nominatim est appellata: eamq; Rhetoricam $\psi\upsilon\chi\alpha\gamma\omega\gamma\iota\alpha\pi$ sub Mercurij imagine ueteres Poëtæ descripserunt. Sic enim Homerus, & hunc secutus Virgilius, Mercurio tribuunt uirgam, qua

Animas ille euocat orco

Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit:

Dat somnos, adimitq; & lumina morte resignat.

Hoc est, ut Cicero, tanquàm fabulæ illius interpretis, ait: Flexanima illa & omnium regina oratio, hominum cœtus tenere, mentes allicere, uoluntates quò uelit impellere, unde autem uelit, deducere potest. Ligarium Cæsar, quòd contra se in Africa arma tulisset, damnare: Ciceronem tamen, defensorem & patrum Ligarij, nihilominus audire decreuerat. Itaq; Cicero sic perorauit, sic eloquentiæ uires omnes exprimit: ut Cæsari quantumuis & iudici & aduersario, tamen uelut incantato & stupefacto, color uariè mutatus sit, & libelli quidam è manibus exciderint. Illa uis delictet Platonis $\gamma\omicron\upsilon\pi\tau\epsilon\acute{\iota}\alpha$ seu incantatio fuit, illa flexanima & regina oratio fuit: qua Cæsar, licet tot uictorijs elatus, à uicto tamen oratore uictus est. Tanta uis eloquentiæ fuit, ut tum uerè orator arma de manibus irati Imperatoris excusserit, miseroq; supplici ueniam impetrarit. Sed de Rhetorica satis: ueniamus ad Logicam: cuius quamcunq; partem inspiciamus, admirandarum rerum ideas plurimas animaduertemus. Primum enim quàm admirabile est, decem Topico-

rum locorum angusto alueo, omnem immensitatem cogitationum & meditationum humanarum concludi? quid diuina illa Enunciati in νοητικῷ iudicio κριτήρια, ex experientia, obseruatione, sensu, inductione orata? quid coelestem in διανοητικῷ iudicio syllogismi regulam commemorem? methodi deniq; diuinitatem quibus uerbis explicem? quam Plato in Charmide ἐπωδῆν, hoc est, incantationem: in Phædro ludum eloquentiæ & sapientiæ, & Dei uestigia appellat, aitq; summo laudis elogio addito, se, si quem methodicæ huius facultatis participem compotemq; inuenerit, Διῶνδρ' ἕκαστόν ποτε μετ' ἰχθυῶν ὡσεὶ θεοῖο.

Hoc est, tanquam Deum uerecundè & religiose colere & uenerari. Etenim pars ista Logicæ de methodo legitima, fundamentum est uniuersæ philosophiæ: qua conseruata salus artium retinetur: eius enim beneficio facile intelliguntur, facile etiam ediscuntur. Eadem autem repudiata: omnium artium iura uiolari perfringiq; & infinita caligine obrui & sepeliri necesse est. Quare diligenter attenteq; hæc Methodi lux in Logica ciuitate retinenda est. Adhuc de inferioribus artibus diximus: quid fiet, si superiorum illarum maiorumq; artium mirandos effectus considerauerimus? Quemadmodum Logici, inuentionis Topicæ paucissimos & finitos locos ad infinitam & perpetuam rerum excogitationem distinxerunt: ita Arithmetici ad infinitam rerum omnium numerationem decem notas excogitarunt: quarum inter se additione, subductione, multiplicatione, diuisione, comparatione, immensam rerum omnium copiam ratiocinantur. Hic uidelicet Pythagoræ abacus est, hic Aristotelis κενόφαλισμός:

Φαλισμός : quo bene percepto, beneq; exercitato, nihil in numeris difficile aut obscurum esse existimat. In Geometricis miraculis demonstrandis & Hieroni Regi proponendis, tanta fiducia fuit Archimedes, ut affirmare & polliceri auderet, si mundus alteram terram haberet, se hanc ad illam uelle adducere: sic enim ait apud Pappum, δὸς μοι πῶς ἴσῳ καὶ κενῶ τὴν γῆν: da mihi ubi consistam & mouebo terram. Cumq; Archimedes, in argumentum tantæ confidentiæ, nauem grauius oneratam & in littus eductam, machinis suis perinde ad se traxisset, ac si in mari uelis remisq; ageretur: tantis Geometriæ miraculis Regem ita permouit, ut diceret, Archimedi quidlibet affirmanti credendum esse. Et ex his nimirum Geometricis miraculis Theatrica ueterum miracula originem duxerunt, ut apud eos spiritu quodam Geometrico nolæ & campæne animatæ, sua sponte, ut Homeri tripodes ad certamen, ita illæ ad pulsum concitandum se mouerent: & statuæ quædam, quasi humano sensu & ratione præditæ, homines munera offerentes capitis nutu salutarerent, quasiq; gratulabundæ exciperent. Quantum autem admirationis percipere possumus ex Optica, ex Musica, ex Astronomia? sed de his omnibus dicere, nimis longum foret, & nescio quomodo ab inferioribus artibus ad diuinas illas oratio mea delapsa est. Refero igitur gradum: & adolescentes hos, in aciem productos, philosophici laboris & ingenij specimen exhibere, & industriæ suæ fidem palam facere iubebo, ne dici possit, ignaros liberalium artium debitum doctis adolescentibus præmium capere. Tibi igitur, Ioannes Iacobæ Erythræe, hoc oneris impono, ut tuo tuorumq;

tribulium nomine primæ artis Grammaticæ, quæ reli-
quarum quasi mater & nutrix est, laudem ex ipsius
autoribus & cultoribus repetas.

ORATIO PRIMA DE
LAUDE GRAMMATICÆ, RECI-
tata per Ioan. Iacobum Erythræum,
Valentini F. Argentinensem.

Vellem, Rector Magnifice, has dicendi par-
tes alteri alicui demandatas esse, qui &
ab eruditione & ab eloquentia instructis
or, & ad id, quod à me postulatur, promptis
or paratiorq; fuisset. Sed quoniam tua, Rector Magni-
fice, uoluntas ita fert, ut meo meorumq; sociorum no-
mine uerba faciam: gaudeo mihi eam materiam oblas-
tam esse, in qua hætenus me exercui, & in qua nulli
uerba deesse possunt. Dicendum enim mihi est de arte
benè loquendi, quæ (ut Quintilianus ait) plus in res-
cessu habet quàm fronte promittat. Ut igitur ad rem
ipsam, nulla circuitione usus, perueniam: sic equidem
credo: eam artem, quæ præstantissimos omnium ætas-
tum magistros habuerit, dignitatis & splendoris non
parum mereri. Nescio enim quomodo quasi pleniore
ore laudare solemus ea, quæ à magnis autoribus ad de-
cus & laudem profecta sunt. Si igitur rem recta repu-
temus uia: inueniemus, præstantissimos quosq; non mo-
do apud Græcos & Latinos, & sed apud ueteres Gal-
los, & qui ante hos fuerunt, Hebræos, huius artis ma-
gisterio fuisse collaudatos. Ut igitur ordinem tempos-
rum obseruemus, Hebræis cum reliquarum artium
tum

tum Grammaticæ quoq; principia debemus. Ab his enim literarum nomina profecta, ad Græcos primum, inde ad Latinos & alias gentes fluxerunt: eodemq; argumento Plato in Cratylo affirmat, τῆν τῶν ὀνομάτων ὀρθότητα, nominum rectitudinem à barbaris (sic enim Hebræos Eusebij testimonio uocat) ad Græcos peruenisse: & hodieq; res ipsa docet, Græcarum literarum appellationes cum Hebræis nominibus conuenire. Quod enim illis Aleph, beth, gimel, id his est alpha, beta, gamma: quod illis iod, caph, lamed, id his est iota, cappa, lamda: & sic in cæteris. Apud Hebræos igitur literarum studium antiquissimum fuisse constat. At quinam secundi Grammaticæ parentes nominantur? Galatæ nimirum, qui & Galli dicti sunt. Nam si uerum est, quod in historico libello, (qui Xenophonti cuidam uulgò attribuitur) scriptum est, Cadmum uidelicet è Phœnicia in Græciam primùm sedecim literas detulisse, quæ Galatarum literis persimiles fuerint: coniectura nimirum certa colligere licet, à Galatis ad Græcos literas peruenisse: idq; etiam certior temporum ratiocinatio & historica fides demonstrat, cum Semnotheorum, Saronidarum, Druydum, Bardorum doctrina multis ante seculis in Gallia floruerit, quàm Cadmus ille in Græciam uenisset: idq; à Varrone libro septimo de lingua Latina comprobatur. Nam cum Crates Græcus quæstionem Grammaticam in Græcia agitare, quæreretq; cur non diceretur alpha alphatos: responderunt alij Græci Grammatici, hæc non esse uocabula Græca, sed penitus barbara. Literarum igitur inuentio & usus apud priscos illos & Hebræos & Gallos iam tum percrebuerat.

cum Græcia ne literas quidem suspicata adhuc esset.
Sed quænam tandem apud Græcos Grammaticæ studia floruerunt? Platonis quidem tempore Grammatica ars nihil aliud fuit, quàm literarum lectio & scriptio: & ipse in Philebo huius artis fundamenta iecisse, ideoq; Grammaticæ artis magisterium ambiisse uisetur. Nam ex Theuthi Aegyptij sententia literas in uocales, mutas & medias diuidit: literarumq; infinitatem quæ uidebatur, ad finitum numerum redigit. Quin idem Plato in Cratylo suum Grammaticæ studium amplissimè testatus est, cum ostendit, qua ratione rectè nomina rebus imponantur: ubi rursus barbaros, hoc est, Hebræos, hoc argumenti genere Græcis præfert, quòd rerum etymologias perfectissimas teneant: tandemq; recta rebus nomina imponere maius ingenio humano opus esse existimat. Et rectè ille quidem. Adamus enim primus homo, nondum ex illo diuino humanæ naturæ statu depulsus, rerum omnium nomenclator ille extiterat. Aristoteles uerò Platonem præceptorem Grammatici magisterij laude superare conatus est: uocisq; duo genera constituit, categoremata & syndesmonum: sub illo nomen & uerbum, sub hoc aduerbium & coniunctionem comprehendens. Hæc igitur summorum apud Græcos philosophorum, Platonis et Aristotelis, Grammaticæ laudis affectatio fuit. Supersunt Latini, qui nõ minus hanc Grammatici magisterij laudem, quàm patrimonium aliquod locuples affectarunt. Suetonius in libello de claris Grammaticis ait, Grammaticam olim Romæ ne in usu quidem, nedum in honore ullo fuisse: rudi scilicet ac bellicosa etiam tum ciuitate, necdum liberalibus disciplinis magnoperè uacante. Pri-

mus

mus studiū Grammaticæ in urbem intulit Crates Malo-
lotes, Aristarchi æqualis : qui missus ad Senatū ab Ata-
talo rege, inter secundum et tertium bellum Punicum,
sub ipsam Ennij mortem, cum in regione Palatij pro-
lapsus in cloacæ foramen crus fregisset, per omne lega-
tionis simul & ualeitudinis tempus plurimas angustias
& q̄s subinde fecit, assidueq; differuit, & Romanis ad
imitandum exemplo fuit. Deniq; magis ac magis &
gratia & cura artis increuit, ut ne clarissimi quidem
uiri abstinerent, quo minus & ipsi aliquid de ea scri-
berent : utq; temporibus quibusdam uiginti & plures
celebres scholæ in urbe fuisse tradantur. Primus Latine
docere cepit L. Plotius, ad quem se puero Cicero
ait concursum factum esse, quod studiosissimus quisq;
apud eum exerceretur. In hanc Grammaticam are-
nam postea prodijt M. Terentius Varro, qui Gram-
maticam artem uigintiquatuor libris explicauit : eo-
rumq; librorum quædam fragmenta ætas nostra uidit.
Cicero quoq; præcepta Grammaticæ multis locis atti-
git : cuius studium secutus Cæsar, duos de Analogia li-
bros ad Ciceronem in summo bellorum ciuiliū ardo-
re & maximis occupationibus scripsit : nominatimq;
uerborum Grammaticum delectum, originem elo-
quentiæ esse dixit. Prætermitto eos, qui postea secuti
sunt, ut sunt Didymus, Palæmon, Quintilianus, Pli-
nius, Gellius, Donatus, Priscianus : qui omnes hanc
Grammaticam gloriam sibi propositam habuerunt.
Quamobrem ne longior sim, & tandem concludam,
sic sentio : cum tot seculorum autoritatibus, totq; gen-
tium magisterijs constet, præclarum semper et magni-
ficum Grammaticæ studium extitisse : nobis pueris in
his

*his infimis diligenter & sedulo elaborandum esse, ut
Platonis, Aristotelis, Varronis, Ciceronis, Cæsaris stu-
dij Grammatici hereditatē nobis relictam cernamus,
& cupidis animis adeamus: eorumq; gloriam nostra
gloriæ cupiditate non modò æquare, sed & superare
contendamus. DIXI.*

Ioan. Thomas Freigijs D.

*Rectè tu quidem & benè, mi Erythræe, de Gram-
maticæ artis parentibus & autoribus dixisti. Quam-
obrem, ut facis, in illius artis studium diligenter incum-
be. Habes patris tui, primi huius Gymnasij Rectoris,
exemplum nobile: habes etiam monumenta à patre
plurima, quæ te ad paternæ diligentia similitudinem
meritò excitare debeant. Sed ad Grammaticum studiū
ampliora & uberiora illa Rhetoricæ et Logicæ studia
in posterū adiunges: ubi uestigia longè lateq; à pater-
na te tuo impressa animaduertere potes: quibus uestigijs
ingredi tibi tuisq; fratribus laudabile & honorificum
aliquando futurum est. Verum de Grammaticis laudi-
bus satis. Proximum est, ut tu Schürstabi Rhetoricæ fa-
cultatis autores ac primos quasi satores recites.*

**ORATIO SECUNDA DE
LAUDE RHETORICÆ, RECITA-
ta per Franciscum Hieronymum
Schürstadium Noriber-
gensem.**



A *D Rhetoricæ artis laudem, animis & au-
ribus hominū proponendam, Rector Ma-
gnifice*

gnifice, Rhetoris alicuius eloquentis & copiosi uox
magis quàm infantia mea penè puerilis requiri uidea-
tur. At quoniam mihi hoc onus à te imponitur: officij
mei existimo, tibi honesta præcipienti parere, dictoq;
obedientem esse. Semper enim Agesilai Spartani regis
obedientia mihi placuit: qui cum contra Artaxerxis
ducem Tissaphernem in Asiam missus, tanto successu
rem gereret, ut breui totam Asiam Laconico imperio
adiecturus, et Persicam potentiam debilitaturus uidea-
retur: per medias uictorias quasi quadrigis uehenti,
transuersa incurrit misera Reipub. fortuna à Theba-
nis orta. Itaq; cum Agesilaus per Spartanos missa Scya-
tala reuocaretur: relicta spe occupandi Persici impe-
rij, statim in patriam redijt. Hæc πειθαρχία seu obe-
dientia ita à Plutarcho celebratur, ut nullum aliud
obedientiæ præclarium exemplum extare scribat. & δὲ
γέγονεν (ait) παράδειγμα πειθαρχίας ἐπερὶ
τοῦ Μιόρ. Quod si tantus Rex tam obedientem erga
Spartanos suos se præbuit: quid, me puerum penè ad-
huc, qua erga te obedientia uti decet? Ut igitur ius-
sisti: de Rhetorica facultate dicam, eiusq; parentes ex
ultima antiquitate repetitos, quantum mihi ex præ-
ceptoribus meis de illa re differentibus audire licuit,
proferam. Vultis igitur incipiamus ab antiquissimo
Hebræorum populo? sic opinor Aaron igitur ille po-
puli Hebræi orator, non solum ad ipsum populum pro
Mose (qui eloquentia minus pollebat) uerba faciebat,
sed et ad regem Pharaonem tanquam legatus quidam
à Deo Opt. Max. missus scribitur. Iosephumne puta-
mus regni Aegyptiaci habenas sine eloquentiæ copia
& admiratione rexisse? aut non eadem orationis ma-
iestate

*testate Dauidem in rebus politicis praestitisse, quae ille
 Dei Opt. Max. laudes psalmis decantandis ceteros
 mortales uicit? Idem quoque de Solomone dicere licet:
 cuius non tam prudentia, quam eloquentia quadam
 diuina, exteros homines ad eum ipsum adendum &
 salutandum excitatos uenisse arbitramur. Sed haec
 istorum heroum eloquentia magis à diuino munere
 profecta uideatur: at Graecorum & Latinorum, arti-
 ficio & usu collecta eloquentia mirabilis hic nobis oc-
 currit. Iouem ipsum, si Graece loqui uoluisset, non alio
 sermone quam Platonis usurum existimarunt Philoso-
 phi. Aristotelem aureum flumen Cicero appellauit.
 Tyrtaeum, Aristotelis discipulum, rara quaedam ora-
 tionis diuinitas Theophrasti nomine celebrauit. Et ne
 philosophos tantum meditemur: politici quoque hanc
 laudem quasi propriam sibi uendicarunt. Thucydides,
 Themistocli, Atheniensium praclaro duci, non modo
 prudentiam intelligendi: sed & facultatem ea quae
 inuenisset explicandi & eloquendi attribuit. De Per-
 ricle & ipso Atheniensium duce Graeci dictitarunt;
 quod Graeciam tonaret & fulguraret: & cum dele-
 ctatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, à
 quibus esset auditus. Sic enim in uetere illa Comedia
 de Pericle Eurpolis:*

Γερμλέης δ' λύμπι
 ἠστ' ἀπ', ἐβρόντα, συνεύια πὶρ ἐμάδα:
 πφθώ τις ἐπειάθητο αὐτῶ χείλοισι,
 ἔτως ἐκῆλε καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
 δ' κέντρον ἐγχετέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

*Quid dicam de Demosthene? quem, ut ait Iuuenalis,
 mirabantur Athenae,*

Torrens

Torrentem & pleno moderantem uerba theatro.

Nihil acutè inueniri potuit, ait Cicero, in eis causis, quas scripsit Demosthenes, nihil subdolè, nihil uersute, quod ille non uiderit: nihil subtiliter dici, nihil pressè, nihil enucleatè, quo fieri possit aliquid limatius: nihil contra grandè, nihil incitatum, nihil ornatum uel uerborum uel sententiarum grauitate, quo quicquam esset elatius. Huic proximus & ætate etiam suppar fuit Aeschines: qui cum Ctesiphontem accusaret, eundemq; Demosthenes defenderet, temporibus Alexandri Magni: ad id iudicium dicitur concursus è tota Græcia factus. Quid enim tam aut uisendum aut audiendum fuit, quàm summorū oratorum, in grauissima causa, accurata & inimicitijs incensa contentio? In hoc autem genere ne Isocrates quidem prætereundus est, cuius domus eundæ Græciæ quasi ludus quidam atq; officina dicendi patuit. Is etsi forensi luce caruit: magnus tamen orator & perfectus magister fuit: intraq; parietes eam gloriam aluit, quam nemo postea est consecutus. Nam & multa scripsit præclarè & docuit alios: & cum cætera melius quàm superiores, tum primus intellexit, etiam in soluta oratione (dum uersum effugeres) modum tamen & numerum quendam oportere seruari. Sed de Græcis hætenus: ueniamus ad Latinos. Primus est M. Cornelius Cethegus, de quo sit memoriæ proditum eloquentem fuisse: cuius eloquentiæ est autor Q. Ennius: is enim Cethegum & oratorem appellauit, & suauiloquentiam ei tribuit: quin & florem populi & Suadæ medullam fuisse commemorat: ut quam Deam Suadam (quæ Græcis πῶς est) in Periclis labris scripsit Eupolis scripsisse.

seſſitaſſe, huius hic medullam Cethegum fuiſſe dixerit. Hunc Cethegum conſecutus eſt Cato, non ſolum ciuis, ſenator, Imperator, ſed & Orator optimus: cuius luminibus obſtruxit poſteriorũ quaſi exaggerata altiſ oratio: e quibus (ut penè infinitos alios præteream) præcipui fuere Caſar, Hortenſius, Cicero. De Caſare ita iudicabat Atticus, ut illum ex omnibus ferè oratoribus Latinè loqui elegantiffimè diceret: quod non ſolum domeſtica conſuetudine (ut de Læliorum & Mutiorum familijs notum eſt) ſed & multis literis, & ijs quidem reconditis & exquisitis, ſummoq; ſtudio & diligentia erat conſecutus. Itaq; cum ad hanc elegantiam uerborum Latinorum (quæ, etiamſi orator non ſis, tamen neceſſaria eſt) adiungeret illa oratoria ornamenta dicendi: uidebatur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. Teſtes eius rei ſunt commentarij, quos ſcripſit, nudi, recti & uenuſti, omni ornatu orationis tanquam ueste detracta. Sed ex omnibus Romanæ eloquentiæ patronis nullus Hortenſio illo præclarior: nullus, in quo aut contentionem æmulationemq; acriorem aut palmam optabiliorem Cicero ſibi propoſitam exiſtimaret: ad cuius imitationis ſimilitudinem cum Cicero ſibi diſcendum diſcendumq; exiſtimaret: tantus uidelicet poſtea Orator effectus eſt, qualem Romana urbs nullum unquam tulit. Verum in iſta eloquentium hominum hiſtoria longior ſum: receptui igitur canam, ſi illud unicum addidero: Magnam ſcilicet eſſe eloquentiæ uim: ſed eam multo maiorem nobis uideri, ſi in præclarorum & dicendi facultate præſtantium hominum uitas & res geſtas inſpicimus: quorum ueſtigijs qui ingredi uolunt
(ſicut

(sicut omnes uelle debemus) tales imagines dicendi sibi proponere, & omni contentionis industria ad similis gloriæ palmam contendere debent. DIXI.

Ioan. Thomas Freigijs D.

Magna quædam ars est & facultas benè rectèq; dicendi, Schürstabi, eamq; ex antiquitatis memoria rectè repetiisti, dum ostendis, quos qualesq; & apud Hebræos, & apud Græcos, & apud Latinos quasi patros nos & principes ea facultas habuerit. Tu igitur tantis tamq; præclaris exemplis commotus & excitatus: illud studium ea diligentia sequere, qua Hortensius, qua Cicero sequendum sibi existimarunt. Sed Rhetoricæ satisfactum est. Superest ut tu Kötzleræ Logicas laudes nobis proponas, talemq; prorsus qualis est, nobis depingas: & in bono lumine colloques.

ORATIO TERTIA DE
LAUDE LOGICÆ, RECITATA
per Lazarum Kötzlerum No-
ribergensem.

Præclaras duarum primarum artium laudes Erythraeus & Schürstabijs nobis proposuerunt, Rector Magnifice: humanas tamen. At si Logicam facultatem respexerimus, non amplius humanas, sed diuinas prorsus cognoscemus. Quantò igitur huius artis diuiniore facultas est: tantò doctiorem, eruditiorem, omnibusq; dicendi uiribus paratiorem aliquem hæc prouincia deposcebat. Sed ne me inobedienciæ alicuius crimine obstringam,

E Rector

Rektor Magnifice, parebo tuis mandatis & lubens
quidem: ita tamen ut recipiam me dicturum, sicut in
antiquis conditionibus scribi solebat, quantum sciam,
poteroq;. Et ut inde potissimum exordiar, unde illi,
qui ante me dixerunt, sibi auspiciandum censuerunt:
hac quoq; in parte Hebraeis laudem suam sartam tes-
tam conseruabo. Nam quod Erythraeus & Schürsta-
bius suarum artium originem ab illa antiquitate repe-
tiuerunt: id ego in hac Logica facultate iure merito
facturus uideor. Nulla enim est ex toto illo discipli-
narū orbe, quam Hebraei primi non inuenerint, exer-
cuerint, & ad posteros transmiserint. Apud primos
quidem parentes Grammatica & Rhetorica natura-
les fuerunt, ex quarum obseruatione & animaduers-
sione nostrae haec artificiosae expressae sunt. At purioris
& sanioris, non autem Sophisticae Logicae usus et exer-
citatio apud Hebraeos (ut nominatim ab Eusebio li-
bro XI. de praeparatione Euangelica, capite 3. scri-
bitur) fuit in explicatione historiarum: fuit in psal-
morum & poëmatum compositione, ut hymni & odae
Dauidis, Asaphi, Hemanis, Ethami, filiorum Chore
ostendunt: fuit & in enigmatum enodatione ac in-
terpretatione, ut historia Samsonis prolixè demon-
strat. Et sanè Exodi 28. quid aliud profitetur qua-
drangulus, & palmaris ille in Aharonis pectore pan-
nus, non solum auro & gemmis XII. sed duabus il-
lustribus notis Urim & Thumim distinctus & orna-
tus? Urim nempe significat splendorem mentis, lus-
cemq; ad cogitandum & perspiciendum. Thumim or-
dinis accuratorem & perfectionem ad uerè incor-
rupteq; iudicandum. Vnde & pectorale ipsum à Mo-
se Cho-

se Chosen, id est, iudicij Λογισμῶν appellatur. Itaq; per
Vram & Thumim ueluti perfectas absolutæ sapientiæ
uias oracula & colloquia Dei per Aaronem petita in
sacris literis memorantur. Et ne tantum sacra medite-
mur: Plato philosophorum Deus testatur, Promethe-
um antiquissimum philosophum quædam circa Logi-
cam principia mouisse, breuibusq; monitis mirabiles
sapientiæ fontes aperuisse. Vnde non modo ignem de
cælo clepsisse: sed ob id furtum, etiam Caucasus, per
petuis niuibus rigenti, alligatus esse fingitur: ubi per
petuo laniata aquila epar ipsius rimetur & arrodat.
Prometheus nimirum nihil aliud quàm philosophus
Logicus est, qui non ex postfacto, sed ante factum sa-
pit, et rationem in consilium adhibet. Ignis uero æthe-
rea domo subductus, ipsa ratio Logica est: particula
uidelicet diuinæ auræ, ut poëta ait: & cognitionis re-
gula, quæ quasi delapsa de cælo, ad omnium tenebra-
rum caligines allucet, & plura humanæ menti lumi-
na præbet, quàm unquam Argus ille oculatus habuis-
se fingatur. At Caucasus ille inhospitalis, humanum
corpus est, cui ceu carceri obscuro & tenebricoso allig-
ata est hominis mens: quæ in perpetuis niuibus, id
est, rerum formis circumuolitantibus ita uersetur, ut
Plato sapientem in perpetuo uenatu uersari uoluit. Si-
cut enim uenatores in niuibus sæpè pernoctant, & in
montibus uri se patiuntur: ita philosophus Logicus
perpetuò habet tanquàm uenatum aliquem sibi pro-
positum, ubi industria eius excurrat, ubi excubet, la-
boret, sudet. Aquila deniq; auis omnium & uisu acere-
rimo & altissimo uolatu prædita, quæ perpetuo lani-
atu Promethei uiscera rimatur: nihil aliud docet,
E 2 quàm

quàm perpetuam Logici diligentiam, qui in inueniend
do, excogitando, perspicendo occupatus, naturæ im
mensitatem uniuersam, omnia hominum dicta & facta,
presentia, præterita & futura, perspicit, expendit
& considerat. Tales Promethei deinceps non modo
exemplis, sed & scriptis clarissimi extiterunt Hippo
crates, Plato, Aristoteles. Hippocrates Logicæ artis
placita multa proposuit: similitudines & dissimili
tudines ualdè commendauit: ueteres tanquam artis
diuidendi & partiendi ignaros reprehendit: in me
thodo τὸ μέγιστον καὶ ἐπίσιτον summum finem esse do
cuit. Quæ cum in Hippocrate Socrates depræhendisset:
tantoperè eum in Phædro laudauit, ut ad eum
tanquàm Logicum censorem in disputationibus pro
uocarit: & absq; his Hippocrateis placitis disputatio
nem cœci progressionis similem dixerit. Quantum
uerò Logicæ studium in Hippocratis & Hippocratis
corum schola fuerit: magno argumento sunt duæ se
ctæ ex ea schola egressæ: quarum una est Methodico
rum, qui subtilius medendi artem per generales &
catholicas præceptiones exposuerunt, & τὸ μέγιστον
καὶ ἐπίσιτον impensius excoluerunt: altera Empirico
rum, qui simplicius inductionibus, exemplis, experia
mentis, ἐπαγωγαῖς, παραδείγμασι, ἐμπειρίαις
suam artem exercuerunt. Platonica autem schola, à
Socrate orta, superioribus longè πλεονεκτέρα fuit.
Tametsi enim Socrates magister in schola nunquam
fuit: imò literam nullam scripsit: è discipulorum ta
men atq; in primis Platonis sermonibus & disputationi
bus apparet, eum omnium philosophorum non solum
natura, sed & doctrina & usu λογικώτατος fuisse:
id quod

id quod Galenus initio historiae philosophicae testatur.
Et rectè. Nulla. n. est pars Topicae inuentionis aut Ana-
lyticae dispositionis, quæ non suis præceptis & exem-
plis ex Platone describi & illustrari possit: nemo de
methodo, nemo de Genesi & Analyti uirtutum et uitio-
rum Logicorum magnificentiora unquam proposuit:
nihil de artium omnium collocatione, nihil de animi
Logici per artem Logicam in Deum Opt. Max. con-
uersione prudenter uel potius sanctè dici potest, quod
non à Platone philosophos repetere necesse sit. Huius
discipulus Aristoteles eius artis hereditatem à præ-
ceptore relictam studiosè adiit: & patrimonium tam
locuples, excoluit, amplificauit, omniq; diligentia au-
xit. Primò Aristoteles, Alexandri M. beneficio, libro-
rum infinitam copiam ex omnibus undiq; locis congre-
gavit, ut Strabo ait: πρῶτος ὦρ ἰσμεν συναγαγὼν
βιβλία, ἢ διδάξας τὸν ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέα Βρα-
βλιοθήκης σύνταξι, hoc est, primus eorum (quos scia-
mus) libros cōgregavit: et Aegypti reges bibliothecæ
ordinem docuit. Aristotelis itaq; philosophia tanq̃ omnia-
rum philosophorum ueterum bibliotheca quædam est, in
qua libri Logici uidentur fuisse centum & quinquas-
ginta minimum. In Organo certè Logico octodecim li-
bri sunt, quos nos, immenso Dei beneficio, octodecim
ferè paginis compræhensos, per semestre proximum à
præceptoribus nostris, non sine utilitate nostra, ut pu-
to, cognouimus. Hæc ergo Logicæ facultatis ab antia-
quissimo Hebræorum populo autoritas: hic Græco-
rum philosophorum erga Logicam artem amor Hip-
pocrateus, Socraticus, Aristoteleus fuit. Itaq; cum præ-
stantissimo illo nostræ ætatis Logico uerè mihi uideor

dicere posse, nihil in literis humanioribus altius aut
sublimius esse, quò uelit aut possit cupiditate scientiæ
inflammatus animus ascendere. Hic uidelicet Platonis
cus θρυκός, hæc lorica est, quæ summis reliquarum ar-
tium structuris superinducitur. Cum eodem ergo Lo-
gico, si charissimis meis condiscipulis disciplinam meo
iudicio nobilissimam & liberalissimam à Musis ipsis
artium præsidibus optanda sit: Logicam me Christus
optauerim. Sed Deus Opt. Max. orandus quoq; &
deprecandus nobis est, ut reprimat Sophistarum cona-
tus, qui nobis illos naturalis rationis limpidissimos
fontes per sua parua Logicalia terminorū, suppositio-
num, ampliationū, restrictionū, ascensionum, descensio-
num, insolubilium, obligationum: qui inquam per has
& alias similes Sophisticas Chimæras rationis lumen
dialecticam, sicut pastores Philistæi Abrahami fontes,
obstruere & conspurcare conantur. DIXI.

Ioan. Thomas Freigius D.

Pia tu quidem & necessaria nostro seculo uota fe-
cisti, Kötzler: quid enim nostro tempore malè feriat
quidam homines agant, quid conentur, quid molian-
tur: non obscurum est. Ea enim tela textitur, ut sublas-
ta cum aliarum artium, tum in primis Logicæ facultas
tis luce: tenebræ illæ palpabiles, quæ superioribus se-
culis orbem Christianum inuoluerunt, rursus in claris-
simam lucem inducantur. Tu igitur, qui Reipub. ali-
quando membrum futurus es: fac hanc Logicam rectè
sentiendi iudicandiq; prudentiã cum politica coniun-
gas: ita fiet, ut in rerum humanarū æstimatione et dis-
iudicatione, hac Logica regula retenta, facile aberras-
re nunq̃

re nunq̄ possis. Sed ad te nunc me conuerto, Volcamere,
et quoniam nullum earum artium argumentum, in quibus
uestra ætas hætenus elaborauit, relictum est (singuli enim isti singulas laudauerunt) age tu tuum iudicium tanquàm arbiter & sequester interponito, & quænam ex tribus illis alteri præferenda sit, breuiter exponito.

ORATIO QVARTA DE
CONIUNCTIONE TRIUM SVPERIORUM
artium, recitata per Georgium
Volcamerum, patricium
Noribergensem.

Arduum et difficile esse, de trium artium illarum dignitate, utilitate & necessitate dicere, deprehendi ex eorum orationibus, qui ante me uerba fecerunt: Rector Magnifice.

Quantò autem difficilius & grauius est, non de singulis separatim, sed de omnibus in uniuersum, iudicium suum & quasi censuram interponere? Ex Erythraei oratione tantam dignitatem Grammaticæ artis ex ipsius autoribus & parentibus animaduerti, ut eius uerbis persuasus, nullam aliam artem cum Grammatica comparandam esse existimarim. At cum Schürstadium de benè dicendi facultate uerba facientem audiui: nihil unquam mihi audisse uideor, in quo nobis magis elaborandum sit. Tandem cum Kötzlerus hic Logicam sic commendasset, sic supra cælos extulisset: Grammaticæ quidem & Rhetoricæ dignitatem magis

E 4 gnant:

gnam: sed tamen humanam: Logicam uero uires pro-
fus diuinas reputaui. Quid igitur faciam, quo me uera-
tam? Grammaticamne & Rhetoricam Logicam pre-
feram? aut hanc illis postponendam censeam? Certè
inter sacrum & saxum constitutum me esse intelligo.
Veruntamen, ut me ex hac difficultate & animi mei
angustia expediam, sic sentio: Tantum esse inter istas
tres artes & tam arctum uinculum, ut inter se perpe-
tuo nexu & clauo quodam adamantino colligatæ:
eodem dignitatis, necessitatisq; gradu sibi deuinctæ &
copulatæ esse uideantur:

Alterius sic

Altera poscit opem res & coniurat amicè:

Vt poëta id nobis de suo largiatur. Paulò ante nos-
tram ætatem, cum omnia à Sophistis tenerentur, ea
artium liberalium confusio fuit, ut eas hominibus, in
quibus essent, distingui & separari debere existima-
tum sit. Nam Poëtas Grammaticæ, Oratores Rhetori-
cæ, Philosophos Logicæ artis magistros & doctores
esse creditum est: & Grammatica poëtarum, Rhetor-
ica forensium hominum, Dialectica philosophorum
propria habita est. Hic error eripiendus scilicet: hæc
opinio minuenda fuit. Nec enim artes hæ, ò tenebricosi
si Sophistæ, hominum personis rectè distinguuntur aut
separantur: quasi hæc poëta, illa politici, tertia phi-
losophi tantum propria sit: sed hæ artes omnes unius
eiusdemq; hominis quasi coniunctæ & affines uirtutes
existunt. Hanc coniunctionem, omnium ætatum præ-
clari & poëta & philosophi & oratores, laudarunt,
suaserunt, retinuerunt, exercuerunt: & nobis lau-
dandam, suadendam, retinendam, exercendam propos-
uerunt.

suerunt. Homerus (ut ab hoc in primis antiquo Graeciae scriptore exordiar) Homerus ergo quid de Phoenice Achillis magni illius herois magistro scribit? uel potius quid de se Phoenix apud Homerum loquitur? Ait nimirum, se à Peleo patre Achilli iuueni comitem esse datum ad bellum, ut illum efficeret oratorem uerborum & actorem rerum. Sic enim loquitur:

τὸν ἐμὸν με πρόειπε διδάσκει μὲναι τὰ δὲ πάντα,
μῦθων τε ῥητῆρ' ἐμὲναι, πρηνιτῆρα δὲ ἔργων.

Quibus uerbis uel Phoenix ille magister Achillis, qui haec de se dixit: uel Homerus ipse, qui haec de Phoenice scripsit: haud dubie significare uoluit, iam tum heroicis illis temporibus omnium illarum artium coniunctionem laudabilem extitisse: neque alios uerborum oratores, alios rerum actores prudentiaque cultores: sed harum uirtutum coniunctione praestantes heroes extitisse. Omitto tuos Erythrae Semnotheos, Saronidas, Druydas, Bardos, Mallotas, Varrones, Caesares, Priscianos: qui non tantum Grammaticis praecipis, tanquam ouis excludendis in nido, incubuerunt: sed aliarum artium quoque noticiam adhibuerunt. Praeter eo etiam tuos Schürstabi Themistocles, Pericles, Demosthenes, Cethegos: quos nemo, uel mediocriter in literis uersatus, tantum Rhetores fuisse dicet. Taceo tuos Kötzlere Prometheos, Hippocrates, Platones, Aristoteles: qui nequaquam unius Logicae artis palmam ambierunt. Hortensium (cuius tu paulo ante Schürstabi mentionem fecisti) unum instar multorum millium proferam: magnum illum & oratorem & Logicum, quem Cicero sibi tanquam Antagonistam, in cuius & oratorias & Logicas uirtutes incurreret, praecipue

eipue unicum proposuit. At hunc paris gloria emula-
lum, quo pacto beata illa Ciceronis uox describit? Pri-
mum memoria tanta fuit Hortensius, quantam in ullo
cognouisse me arbitror, ait Cicero: ut quæ secum com-
mentatus esset, ea sine scripto, uerbis eisdem redde-
ret, quibus excogitauisset. Hoc adiumento illo tanto
sic utebatur, ut sua commentata & scripta: & nullo
referente, omnia aduersariorum dicta meminisset. Hæc
Hortensij memoria aliunde ne quàm ex Logica syllo-
gismi & methodi luce & dispositione ortum habuit?
Sed perge Cicero. Attulerat Hortensius minimè uul-
gare genus dicendi: duas quidem res, quas nemo alius:
partitiones, de quibus rebus dicturus esset: & colle-
ctiones: memor & quæ essent dicta contra, quæq; ipse
dixisset. Partitiones nimirum illæ Hortensianæ, Logi-
cæ methodi lucem loquuntur: & collectiones ipsæ ni-
hil aliud quàm Syllogismi iudicium continent. Vnde
amplissimè Hortensianum Logicæ studium testatum
est. Erat in uerborum splendore elegans, inquit Cice-
ro: Hic nimirum delectus uerborum Grammaticus fuit,
quem eloquentiæ principium statuerat Cæsar. Erat
& compositione aptus, facultate copiosus: Rhetoris-
ca scilicet illa Hortensij fuit. Nec prætermittebat ferè
quicquam, quod esset in causa aut ad confirmandum
aut ad refellendum. Hæc nimirum prima Logicæ pars in
inventionem Topica est. Ex quibus omnibus coniunctum
ex Grammatica puritate, Rhetorica suauitate & Lo-
gica ueritate Hortensij studium elucet. Longum es-
set dicere, quomodo hæc Grammaticas, Rhetoricas &
Logicas uirtutes, tantoperè in Hortensio commenda-
tas, Cicero emulatus & omni contentionis studio sus-
perare

perare conatus sit: huius rei ipse locupletissimus testis
est, qui gloriatur, se talem tantumq; oratorē non modo
ex rhetorum officinis, sed multo magis ex Academia
spacijs extitisse: idemq; Periclem, quod Anaxagoræ,
& Demosthenem, quod Platonis auditores fuissent, hoc
est, quod cum eloquentia Philosophiam coniunxissent,
tantum reliquis oratoribus ait præstitisse. Sed quid ue-
tera profero? nonne omnes nostri temporis Acade-
miæ & scholæ hanc trium istarum artium coniuncta
onem suis legibus imperant? præmijs & priuilegijs
ornant? honoribus confirmant? & cum Academia,
Lyceoque; forum & tribunal quodammodo copulant?
neminemq; ad Acroamaticam metam nisi Exoterico
curriculo decurso admittunt? Quamobrem si dissidia
um illud lingue & cordis, quo alij sapere, alij dicere
dicuntur, absurdum esse & inutile & reprehenden-
dum existimamus: si Periclem illum, si Demosthenem,
si Platonem, si Aristotelem, si Hortensium, si Cicero-
nem sequi uolumus: ueterem illam loquendi, dicendi,
& intelligendi mirificam societatem colamus. Neq;
enim (ut ait Cicero) indisertus Academicus, nec sine
philosophia rhetor quamuis eloquens pertimescendus
est: neq; enim flumen conturbat inanum uerborum,
nec subtilitas sententiarum, si orationis est siccitas.
Itaq; & Logica prudentia comprehendenda est, sine
qua uerborum uel Grammatica uel Rhetorica uolubi-
litas inanis atq; irridenda est: & ipsa prudentia Lo-
gica uicissim uerborum non solum electione & con-
structione, sed & ornatu conformanda est: ut ita ex
rerum cognitione Logica oratio efflorescat & redun-
det: & orationem alioqui puerilem, (si inanis rerum
sit)

fit) res ab oratore cognita & percepta exornent.
Quod si fiet: coniuncta illa Grammatica, Rhetorica,
Logica miracula, admirabiles sui amores in animis
hominum excitabunt. DIXI.

I. T. F. Doctor.

Idem tu Volcamere sentis quod ego. Semper enim
mihi ista trium artium illarum, quasi trium Gratia-
rum, consociatio placuit. Rectè igitur facies, si non
modò tuos tribules ad earum artium coniunctionem
tuendam hortatus fueris: sed etiam exemplo tuo ipsis
præiueris. Habuisti patrem Georgium Volcamerum,
de cuius uirtutibus ut parcissimè dicam (plura enim
dicere tempus non patitur) sed de illius uirtutibus hoc
sæpè celebrari audiui, ut uix credatur ex hominum
politicorum cœtu alius aliquis eloquentia præstantior
fuisse. Cui patris tui eloquentiæ, si meo iudicio pru-
dentiam adiunxeris (ex hac enim rectè sentiendi ius-
dicandiq; facultate illam dicendi uim, quæ in patre tuo
eluxit, natam existimo) habebimus id quod quæri-
mus. Tu itaq; cuius ideam et imaginem quandam tacis-
tam oratione tua depinxisti: eam uiuo eloquentiæ &
prudentiæ exemplo ut exprimas, facito.

Et quoniam huius Actus nostri Protasis & Epitasis
absolutæ sunt: superest Catastrophe, eaq; duplex.
Vna in donatiuorum distributione: Altera in gratia-
rum actione. Tu famule recita nomina singulorum,
qui ad altiores tribus ascendent.

NOMINA &c.

Non eos tantum militare dixerunt Impp. Leo &
Anthemius

Anthemius in l. aduocati. C. de aduoc. diuers. iudic.
 qui gladijs, clypeis & thoracibus nituntur: uerum eto
 iam aduocatos. At ego etiam bonarum artium studio
 sos milites appellandos censeo, qui Musarum castra
 sequuntur, cum ignorantia ac barbarie pugnant, pro
 uirtutibus & disciplinis contra uitia & inertiam exa
 cubant. Quemadmodum igitur apud Rom. singulis
 militibus uirtutis ergo ab Imp. triumphaturo dona
 militaria dabantur, ut torques, armillae, hastae purae,
 phalerae, pecunia quoq; quae donatiuum dicebatur: se
 pe etiam coronae, eaq; uarij generis, ciuicae, murales,
 obsidionales, castrenses, aureae, rostratae: ita uos quoq;
 togati milites uirtutis ergo donatiuo aliquo seu con
 giario per amplissimum Senatum nostrum remune
 randi uisi estis. Accedite igitur, & accipite munuscu
 lum uestrae uirtuti debitum.






Hæc congiaria grata & chara uobis esse debent : non solum propter memoriam primæ istius Panegyricæ concionis : uerum etiam propter testimonium uestræ diligentia & alacritatis , quam in ista literaria & togata militia præstitistis . Neq; enim frustra Augusti imaginem primum illud præ se fert : itaq; quia Augusti nomen ab augendo deductū uidetur : ita studia uestra augebitis , ut cogitetis nullum in hoc literario certamine uictoriam (cuius imagine alterum nominis insignitum est) reportare , nisi eum qui legitime & strenuè certarit . Et sicut ueteres templum honoris ita construxerunt , ut ad illud non nisi per uirtutis templum iter pateret : ita & uobis persuadebitis , nulli ad hos honores literarios aditum nisi per uirtutem patefieri debere . Et quoniam milites quidam estis , non quidem qui gladijs , clypeis & thoracibus , sed libris , calamis , atramento utamini : militari quoq; Sicinij Dentati exemplo uos adhortabor . Sicinius Dentatus , ut Gellius scribit , in hostem centum & uiginti prælijs pugnavit : cicatricem auersam nullam , aduersas quinque & quadraginta tulit : coronis donatus est aureis octo : obsidionali una : muralibus tribus , ciuicis quatuordecim : torquibus tribus & octoginta : armis plus centum sexaginta : hastis duodeuiginti : phaleris donatus est quinque & uicies . Hunc Sicinij
nium

nium adolescentes imitandum uobis proponite: idq;
operam date, ut non hodie tantum premio digni fuis-
se uideamini: sed & in posterum in literaria huius
militiæ exercitijs tam strenuè uos gerite, tam bo-
nos uos ostendite, ut sæpè sæpiusq; uirtutis ornamenta
laborumq; præmia consequamini: tandemq; spes uos
pulcherrima foueat (ut cum Imp. Iustiniano hortatio-
nis meæ summam concludam) tota militia literaria le-
gitimè confecta, posse etiam Rempub. in partibus eius
uobis credendam gubernari. Et quoniam officio meo
functus sum, non quidem ut uolui et ut debui, sed ut po-
tui: superest ut prudentissimo senatui nostro et Schol-
archis amplissimis, cæterisq; spectatoribus, pro benefi-
cijs omnibus, proq; præmijs & liberali munificentia
gratiæ agantur: quod tu Marquarde Freer, ut breuia-
ter, ita uerè & piè facito: & hanc primam nostram
Panegyrim solenni εὐφροσύνηα concludito.

GRATIARVM ACTIO, RECITATA PER MARQVAR- dum Freer Augustanum.

 Quidem nihil tam proprium hominis existi-
stimo, quàm non modò beneficio, sed etiam
beneuolentiæ significatione se alligatum
fateri: nihil è contra tam inhumanū, tamq;
turpe esse, quàm committere, ut beneficio non dicam
indignus, sed uictus esse uideare. Nos igitur adoles-
centes, qui ab amplissimo & prudentissimo Noribera-
gensis Reipub. senatu non modò beneuolentiæ signi-
ficatione, sed beneficiorum immensorum præstatione
alligati

alligati sumus: quas gratias tantorum beneficiorum
autoribus habere necesse est? Cn. Octavio, qui primus
ex illa familia Cos. apud Rom. factus est, honori suis
se accepimus, quod præclaram ædificasset in palatio
& plenam dignitatis domum: quæ cum uulgò uisere-
tur, suffragata domino, nouo homini, ad Consulatum
putabatur. At quantò maiori honori Senatui am-
plissimo erit, non priuatam aliquam domum, sed com-
mune quasi Musæum & Palladium, Musis literarum
presidibus extruxisse: quod cum uulgò etiam à ciui-
bus & peregrinis plurimis indies uisatur: omnium
tamen admirationem excedit: eosq; in nulla Germa-
nie Academia tale domicilium pro Musis extructum
se uidisse fieri cogit. Serit arbores, quæ alteri seculo
profint, dicebat Statius de agricola: nec dubitat agri-
cola, quamuis senex, quærenti cui serat, respondere,
Dijs immortalibus: qui me non accipere tantummodo
hæc à maioribus uoluerunt, sed etiã posteris prodere.
Ergo arbores serit diligens agricola, quarum aspiciet
baccam ipse nunquam. At uos, uiri amplissimi, gene-
ris nobilitate, eruditione, prudentia præstantissimi,
non arbores aut plantas, sed Musæum, sed leges, sed in-
stituta, sed literariũ deniq; gymnasium, tanquam hor-
tum & paradisum terrestrem plantastis: cuius seges
tes lætas & luxuriantes non postera tantum secula,
sed uos ipsi magna cum lætitia conspiciere potestis: &
ut spes est, breui copiosos ingeniorum optimorum, ue-
stra diligentia, cura, sumtu uelut satorum & exculto-
rum, fructus percepturi estis. Serrani, Cincinnatiq;
temporibus, annonæ uilitas Romæ summa fuit, inquit
Plinius: Quenam ergo tantæ ubertatis causa erat?
quòd

quòd ipsorum imperatorum manibus agri colebantur
respondet Plinius : quasi terra ipsa uomere laureato
& triumphali aratore gaudere uisa sit : siue illi Sero-
rani, Cincinnatiq; eadem cura semina tractabant, qua
bella : eademq; diligentia arua disponebant, qua ca-
stra : siue honestis manibus omnia letius proueni-
unt, quoniam & curiosius fiunt. Vt ergo cum Plinio
nostrum argumentum concludamus : eundem, imò &
maiolem literarum prouentum in hac uestra, uiri am-
plissimi, schola speramus : sed qua de causa ? quòd scia-
licet Senatus amplissimi uomeres hìc imprimuntur :
quòd Scholarchæ triumphales aratores hanc prouin-
ciam sua cura non indignam esse existimant. Quam-
obrem non solum pro illa magnificentia, liberalitate,
cura, sollicitudine, qua & antea domum hanc edifica-
stis, & hodie studia nostra promouere pergitis : sed et-
iam pro uestra tam honorifica presentia, qua Panegy-
rim istam nostram partim ornastis, partim etiam libe-
raliter profecuti estis : gratias agimus & habemus,
non quas uestra grauitas, dignitas, magnificentia ma-
ximas postulat, sed quas ingenij nostri mediocritas &
animi angustia, uerborumq; inopia concedit. Reliquis
item tum gratissimis hospitibus, tum studiosis, qui ad
huius Panegyricæ concionis theatrum spectandi causa
audiendiq; gratia se contulerunt : gratias habemus
immortales : relaturi aliquando, si nobis per rerum
nostrarum tenuitatem licebit. Deus Opt. Max. pater
domini nostri Iesu Christi, hanc primam Panegyricam
concionem ita nobis omnibus faustam & felicem esse
uelit, ut eius exemplo sæpius deinceps studiorum nos-
trorum largissimos fructus decerpere nobis liceat : &

à regionibus nostris, à Museis nostris, omnes bellorum,
morborum, tempestatum, sophismatum calamitates
auertat, ut ipsi grata plurima fiant, dicantur, docean-
tur & discantur. Amen.

Hic fuit actus primæ Panegyricæ
progreſſionis: A prandio acta
est in loco Gymnaſij hypæthro
Tragicomœdia Susannæ Lati-
nè,

GRATVLATIO
IN GRATIAM STUDIO-
SORVM GYMNASII ALTORFIA-
ni, qui ad penultimum diem Iunij, Anno
1577. in prima Panegyri ex inferio-
ribus classibus ad superio-
res translati sunt,
scripta per
GEORGIVM PVLMARII-
um, eiusdem Gymnaſij Col-
legam.



*V*t corp⁹ sequitur tacito pede mobilis umbra:
Musarum studium sic comitatur honos.
Vtpote quo semper floret respublica felix,
Quoq; uiget ueræ Religionis amor.
Et te (ni fallor) laus inçlyta, docta iuuentus,
Nunc manet, & nomen claret ubiq; tuum.

Quæ

Quæ colis ingenuas & amas non segniter artes,
ALDORIFO cupiens conciliare decus.
Te quoq; nunc, inquam, non uana laude beabit
Ingenij & studij cura laborq; tui.
Auspice tu Christo, Christum tu nosse laboras,
Post artes uera cum pietate bonas.
Quæ simul adiungis mores studiosa pudicos,
Omnia quò semper conuenienter eant.
Quod studij censura docet modò publica, quodq;
RECTORIS nostri scriptio docta probat.
Ordo quod & classis iam dignior innuit ille,
Aeris & excusi præmia danda noui.
Gratulor ergo tibi & toti quoq; NORIDOS urbi,
Quæ meritò fructum percipit inde suum.
Et quod nunc superest moneo, studiosa Iuuentus,
Qua bene cœpisti pergere, perge uia.
Non labor iste tuus Christo duce (crede) peribit,
Ast tibi sic olim commoda multa feret.
Christe Dei soboles, uiuaxq; parentis imago,
Qui solus nutu cuncta creata foues:
Te precor ut serues urbem sanctumq; Senatum,
Qui iuuet haud renuens hoc pietatis opus.
Ocia concedas Musis & tempora pacis
Optatæ, studijs non aliena bonis.
Des quoq; præsentis uitæ alimenta caducæ,
Et pellas morbos sæuaq; bella procul.
Pro bonitate tua cœtum defende tenellum,
Qui gaudet studijs incubuisse bonis.
Ut tua Maiestas toto clarescat in orbe,
Floreat & sanctum nomen ubiq; tuum.

ORATIO, PER IOHAN-
NEM THOMAM FREIGIVM I. V.
Doctorem recitata, 3. Nouemb. anno
1577. in recitatione legum
scholasticarum.

Inter præclara amplissimi & prudentissia-
mi nostri senatus opera id non minimum
est, quòd non modò hanc scholam legibus
quoq; & institutis ornare & conformare:
sed & eorum solennem in publicis totius literarij po-
puli comitijs, quasi quodam trinundino, promulgas-
tionem fieri uoluerunt. Quanquam enim ab omnibus
philosophis, qui de Repub. scripserunt, & politica
uite præcepta tradiderunt, id præcipuè propositum
sit, ut coetus hominum & ciuilis societas bonis certisq;
legibus astringatur, & ut uerè libera sit legum serua-
fiat, quòd multò melius consultiusq; & ad tranquila-
litatem publicam accommodatiuè sit, κτ' ἰσχυρὰ
quàm αὐτοκρατορίας imperare: nulla tamen utilis-
tas, quantumuis bonarum, quantumuis sapientissimè
scriptarum legum fuerit, nisi illæ publicè quoq; notæ
& propalam locatæ sint: & illi coetui, qui ipsis ob-
strictus tenetur, perpetuò in memoriam reuocentur,
istaq; quasi ἐνδελεχεία politica animentur. Itaq; stu-
diosi adolescentes, ea de causa hodierno die uos in Co-
mitium uocari iussi, ut unà nobiscum præclara Noris-
bergensis senatus instituta cognosceretis, & secundum
illorum regulam uitam uestram, studia, omnesq; actio-
nes conformare disceretis, eamq; illis reuerentiam atq;
obedientiam, quæ ab ingenuis adolescentibus requiritur,
tur,

tur, præstaretis. Sic enim principio uobis approbantibus, bonis certè omnibus consentientibus, statuo et pro confesso sumo: Legibus illis, quæ sapienter & prudenti maturoq; consilio statuuntur, summam reuerentiam deberi: sicut è contra non sine summo scelere ipsæ quicquam detrahi aut derogari potest. Et enim quid est tam diligenter tenendū, custodiendumq; aut tam honorificè colendum, quàm quod à summis uiris & in Repub. sapientissimè honestissimeq; uersatis, aut à Dijs potius ipsis inuentū, et ad humanæ uitæ utilitatem ac commoditatem studiosissimè relictum, & à summis philosophis summa obseruantia cultum est? Si enim omnem antiquitatem diligenter perlustrabimus: inueniemus profectò, præstantissimos quosq; & in Repub. optimè uersatos uiros, legum autores extitisse. Nam ut ab antiquissimis quibusq; incipiamus: reuocemus in memoriam Menam, Sasochim, Sesostrim, Vecchorim, Amasim: qui omnes Aegyptiorum multitudini leges præscripserunt, ut populum sibi subiectum ad Deorum cultum religionemq; informarent: ut rem militarem & belli munia ordinarent: ut commercia hominum, iudiciaq; constituerent: ut regni maiestatem publicam, reiq; familiaris œconomiam priuatam conformarent. At quales, quanti q; uiri fuerunt? Summi nimirum Aegyptiaci regni monarchæ & principes. Quid Zoroastres apud Bactrianos? Quid Cecrops apud Athenienses? nōne uterq; apud suos regij imperij gubernacula tenuit? At uterq; etiam suis ciuibus legum sacratarum autor & nomotheta fuit. Sed quid homines & mortales illos in terris principes recensemus, cum legum sanctissimarum or-

Propositio
 Bonis legibus & sapienter conditis, debetur reuerentia.
 Ratio. Nam quod a prudentissimis uiris et Dijs inuentū est, et a summis philosophis cultum: reuerenter est habendum.
 At leges a præstantissimis uiris & Dijs sunt inuentæ & a summis philosophis cultæ.

tus diuinius Dijs potius immortalibus debeat. Et si enim præstantissimi quique Reipub. principes legibus condendis summam semper gloriam assequi conati sunt: quoniam tamen leges suas ad Deos autores reuertuntur, tacite quodammodo confessi sunt, legum inuentionem non humani ingenij, sed diuinius & augustioris numinis esse. Itaque Lycurgus Lacedæmonius Appollini, Solon Atheniensis & Zaleucus Locrensis Palladi, Menas R. Aegyptius Mercurio, Zamolxis Geta Vestæ, Mimos Cretensis Ioui, Charondas Siculus Saturno, Numa R. Romanorum Aegeria, Moses Iehouæ suas leges acceptas tulerunt, ut Strabo nominatim libro XVI. meminit. Μίνως παρὰ τοῖς κρησὶν, ἐννέωρ & βασιλευε διὸς μεγάλῃ ὀαρισὺς, ait Strabo ex Homero, hoc est, Mimos per nouennium regnauit Ioui familiaris. Nam ut Plato ait in Minoë: ἐφοῖτα δὲ ἐννάτῃ ἔτῃ εἰς τὸ τῷ διὸς ἀντρον ὁ Μίνως, τὰ μὲν μαθησόμενον, τὰ δὲ ἀποδιδόμενον, ἃ τῇ προτέρῃ ἐννετηρίῃ παρὰ τῷ διὸς: Non enim semper anno in præaltum & uetusta religione consecratum specus secedere solebat: in eoque moratus à Ioue traditas sibi leges, ut plus autoritatis apud subditos haberent, simulabat. Eadem Lycurgus Minois æmulus faciebat. Nam sæpè ad Apollinem Delphicum peregrinabatur, & ab eo, quæ Lacedæmonijs imperanda essent, se discere profitebatur. Diodorus item Siculus, Menam post antiquam Aegyptiorum uitam, quam Deorum heroumq; tempore fuisse fabulantur, leges Aegyptijs primum scripsisse tradit, quas ille sibi à Mercurio ad hominum salutem datas simularet. Idem de Numa Pompilio secundo Rom. Rege Livius,

uivis,

uius, Plutarchus, Lactantius & Augustinus referunt. Ille enim, ut legibus suis maiorem autoritatem circumdaret, cum Dea Aegeria nocturnos congressus se habere fingebat: eiusque consilijs & monitis eas leges, quas ciuibus suis suaderet, se instituere affirmabat. His accedit, quod legibus reuerentia summa à præstantissimis quibusque philosophis semper habita est. Sic enim & Socrates, cum ex carcere aufugere potuisset, legum tamen obseruantia, quas secum loqui in Critone fingit, in carcere retentus est. Sic etiam nominatim Plato in principio libri primi de Legibus, legum autorem Deum Opt. Max. facit. Nam cum Atheniensis quidam hospes ex Clinia Cretense interrogaret, utrum legum sanctio ab homine aliquo an à Deo profecta esset, Clinias respondet, Deum esse autorem legum, eamque sententiam esse iustissimam. Cum igitur legum inuentio-
Leges igitur sunt reuerenter habendæ.

nem non solum præstantissimis uiris, sed & Dijs ipsis attribuo: cum eas à summis philosophis religiosè cularas affirmo: earum obseruantiam & reuerentiam summam esse debere demonstro.

Agite uerò adolescentes ingenui, cum magnificos et augustos illos legum autores animo complexi fuerimus, et ex inuentorum maiestate dignitatem earundem perpenderitimus: nostræ quoque Academiae leges assumamus: uideamusque utrum eæ tales sint, ut inde concludi possit, non minorem illis obseruantiam præstandam esse, quàm uel Lacedæmonij Apollinis, uel Athenienses Palladis, uel Agyptij Mercurij, uel Gethæ Vestæ, uel Cretenses Iouis, uel Saturni Siculi, uel Romanæ Aegeriæ legibus præstiterunt. Tu igitur, Pulmare, legum nostrarum capita præcipua recitato.

Assumptio. At nostræ leges Academicæ bene & sapienter conditæ sunt.

L E G E S.

Has igitur Academicas leges sapientissimè latas esse: ex ipsarum recitatione abundè animaduertere potuistis studiosi adolescentes. Primò enim, quæ omnium studiosorum communia sunt, generaliter complectuntur, ut pietatem & religionem: ut diligentiam & sedulitatem in studijs: ut honestatem in uita & moribus: ut corporis exercitationes ualeitudinis causa. Specialiter uerò & præfecto collegij, & œconomo, & alumni, & famulo, & ad extremum etiam aduenis & peregrinis sua officia & munia singulis præscribunt: & in summa populi literarij ciues generant, educant, erudiunt, omniumq; bonorum participes reddunt. Eadem enim beneficia Socrati per leges patrias apud Platonem in Critone reponuntur: ἡμῶς γὰρ σε γεννῆσαντες, ἐκτρέψαντες, παιδεύσαντες, μεταδόντες ἀπάντων, ὧν οἱοί τε ἡμεν κελῶμεν, ut ait heros ille noster Plato.

Complexio
Nostræ igitur Academicæ leges sunt diligenter colendæ.
Propopœia legum ex Platonis Critone.
Propo. Summi beneficij autores sunt reuerenter colendi.

Cum itaq; optimo & sapientissimo consilio hæc leges à prudentissimo & amplissimo nostro Senatu sancitæ sint: omni reuerentia studiosi adolescentes illas colere & seruare, ac quasi uitæ regulas sequi debetis. Etenim si uos omnes leges ipsæ conuenire & alloqui possent: nõne uelut charæ sollicitæq; matres ad filios sic agere & sic loqui possent? Summi beneficij autores reuerenter colendi sunt. Hæc enim naturæ ipsius uox, hic gentium omnium consensus, hoc deniq; Dei Opt. Max. summum præceptum est. Quid enim est pietas, ait Arpinas ille orator, nisi uoluntas grata in parentes? qui sunt boni ciues et de patria benè meriti, nisi qui patriæ beneficia meminerunt? qui sancti, qui religionum

religionum colentes, nisi qui meritam Dijs immortalia
 bus gratiam iustis honoribus & memori mente persol-
 uunt? Vos igitur filij quid agitis? nunquam beneficia Assumptio. At
 d. academie
 in uos nostra grato animo respicietis? Si primum ue- leges sunt
 strorum studiorum ortum recordari uultis: in gremio summi be-
 nostro uos studiosos factos, nomenq; (quo nullum ex neficij autos
 res,
 omnibus uitae humanae generibus dulcius & suauius
 est) uos indeptos uidetis. Deinde cū e cunabulis egres-
 si estis: quod summum beneficium pietatis, eruditio-
 nis, humanitatis habuimus: uobis liberaliter praestiti-
 mus. Bona deniq; omnia, quibus & animi uestri &
 corpora conformari & beari possint, cumulatisimè
 communicauimus: adeò ut ortus uestri, educationis,
 institutionis & honorum omnium principia & finem
 nobis unis debeatis. Pro his igitur beneficijs, nulla alia Complexio
 Leges igitur
 δὲ δακτερα, aut θερεπῆρια, nullā aliam ἀντιπελάει- academicae
 γησιμ postulamur, quā ut debito honore, & ea, quae sunt reueren-
 studiosos gratos decet, obseruantia nos prosequamini. ter colenda.
 Pietatem igitur colite: studijs omni diligentia incum-
 bite: moribus et uita probatos uos ostendite: in omni-
 bus uitae partibus, siue uobiscum quid agatis, siue cum
 alijs contrahatis, officio uestro satisfacite. In quo uno
 omnis nobis debita reuerentia sita est. His sanctissimis
 legum nostrarum uocibus si reuera essetis admoniti
 adolescentes, an non summo impietatis crimine uos ob-
 stringeretis, si humanissimam iustissimamq; adhorta-
 tionem negligeretis? At licet leges nostrae non uiua
 uoce à uobis illa omnia exigant: tacitè tamen obedi-
 entiam istam flagitant.

Quamobrem cum hac exhortatione uos excita- Peroratio et
 ueritis, laborem quoq; & industriam in omni officio adhortatio.

studiorumq; reliquo cursu tanquam sociam assumite.
Quæ enim tam in legibus nostris, quàm in reliqua
Gymnasij nostri constitutione suscepta sunt, uestra pos-
tissimum gratia omnia suscepta sunt. Hic uobis ar-
tur, hic uobis seritur, hic uobis etiam metitur. Ponite
ante oculos legum Academicarum mentem & uolun-
tatem, quæ uos à pietate, religione, ueritatis, honesta-
tisq; studio nunquam aberrare sinent. Ponite ante
oculos artium breuitatem, diluciditatemq; , & præce-
ptorum uestrorum erga uos in omni officio beneuolen-
tiam et paternum quendam amorem, qui doctrina uos
& moribus auxere hætenus, & deinceps multò ma-
gis (nisi turpiter uobis ipsi defueritis) augebunt. Pos-
nite deniq; ante oculos uitæ scholasticæ dignitatem,
suauitatem & iocunditatem. Intelligenti enim homi-
ni, & adolescenti benè à natura comparato, & illi
quem rectè ingenuum & bonis parentibus ortum uos
camus, nihil gratius, nihil optabilius potest contingea-
re, quàm tempus illud ætatis ut tenerioris, ita ad quid-
uis sequacis, literarum studijs traducere, artes disci-
plinasq; loquendi, dicendi, differendi, numerandi,
canendi, benè beateq; uiuendi & rectè gubernandi
cognoscere: oratorum, poëtarum, historicorum monu-
menta excutere. Quæ ego omnia ita iucunda experi-
or, ut hac conditione in his artibus discendis & exera-
cendis, omnibusq; optimorum autorum generibus per-
uolutandis, immortalem me fieri posse exoptem. Quæ
uotorū meorum summā uobis quoq; studiosi ado-
lescentes, meo exemplo exopto, et ad imi-
tationis similitudinem uos ex-
hortor. D I X I.

ORATIO

ORATIO, XII. NOVEMB.

ANNO MD. LXXVII. HABITA

per Iohannem Thomam Freigium I. V.

Doctorem, in auspicianda lecti-
one Iulij Cæsaris.



Historia rectè & cum fructu legenda Optimum est in histo-
A V D. eadem ratio & uia tenenda est, ria primo
quæ in liberalibus artibus. Sic ut .n. in his generalia,
à generalibus ad specialia (quæ unica in deinde specia-
alia tracta-

re.
Aristotele etiam & perpetua methodus est) descen-
dere oportet: ita in illa primò generalis totius corpo-
ris historici constitutio, postea magis specialis deductio
cognoscenda est. Fuerunt autem multi inter ueteres,
qui generalem illam historiae $\pi\rho\alpha\gamma\mu\alpha\tau\acute{\epsilon}\alpha\pi$ secuti
sunt: è quibus Iustinus Trogi Pompeij abbreviator in-
ter Latinos: Diodorus Siculus inter Græcos adhuc ex-
tant. Vtriusq; autem studium, & temporum certitudi-
ne & rerum historiarumq; bonitate & dignitate ui-
cit Melanchthon: è quo cum hætenus generalem res
rum Assyriarum, Chaldæarum, Persicarum, Græca-
rum historiam ad Romanorum Monarchiam deduxe-
rimus: reliqua quæ ex Philippi Chronico supersunt, At ego hæ-
duobis postremis hebdomadæ diebus percurremus: ita tenus genes-
ut prioribus quatuor diebus specialem singulorum & ralia tra-
præstantissimorum quorumuis historicorum lectionem ctavi.
coniuncturi simus. Sic igitur statuo, post generalem Nunc ergo
illam historiae cognitionem, ad specialem eius expli- specialia
cationem illos autores potissimum esse cognoscendos, tractabo.
& omni diligentia summaq; attentione explicandos
esse, ex quibus ad studia liberalia, ad mores, ad expe-
rientiam, Illi autores
specialiter
sunt expli-
candi, unde
plurimum
utilitatis
hauritur.

At ex Cæsa-
re plurimū
utilitatis
hauritur:
per distribu-
tionem.

13
cientiam, ad prudentiam civilem, ad cognitionem res-
rum humanarum, ad regionum urbiumq; cognitio-
nem plurimum utilitatis hauriatur. At ex omnibus
Latinorum historicis, nullus est qui ad hæc omnia plus
adiumenti afferat quàm Iulius Cæsar. Ne uerò hæc
magis commendandi aut laudandi studio dicere uide-
amur, quàm quòd reuera res sic se habeat: age per li-
berales artes Cæsarem circumducamus: & quid ex
ipso ad singulas partes utilitatis redundare possit, sim-
pliciter & uerè patefaciamus. Primò itaq; quod ad
Grammaticam attinet, tam utilis lectio Cæsaris est, ut
post Ciceronem nullus alius autor sit, unde linguam
Latinam pleniorē efficere queamus. Tanta enim pu-
ritas orationis Cæsarianæ est, tanta proprietas, tanta
uenustas, tantus nitor, tantus tamq; natiuus candor: ut
nihil tersius, nihil politius, nihil ad orationis Latine
conformationem utilius accommodatiùsue fingi aut
optari possit. Equidem si Ciceroni in puritate Latine
linguæ primas non concedam: non solum totius anti-
quitatis iudicium prophanare: sed etiam omni planè
iudicio carere meritò uideri queam. Ciceroni itaq;
Grammaticam illam puritatem maiorem, si libet, tri-
bue: nihil refragabor: imò uerò non solum libenter, sed
& ingenuè fatebor, omnium hominum, qui sunt, qui
fuerunt, quiq; postea futuri sunt: purissimum in lo-
quendo extitisse. Verum enim uero cum Ciceronis in
dicendo & scribendo splendorem & copiam ne ipsius
quidem ætate imitando quisquam assequi potuerit,
magis imitabile, et, ut Græci loquuntur, εὐτόπιστοπ, id
est, magis parabile genus dicendi Iulianum est. Quod
uerò ad Rhetoricum ornatū attinet, tanta ubiq; tropo-
rum

rum & figurarum copia occurrit, ut sæpè admirari
soleam, quænam causa impulerit Ciceronem, ut scribere
re auderet, Iulianos illos commentarios ualdè quidem
probandos esse, sed esse eosdem nudos, omni orationis
ornatu tanquam ueste detracta. Quàm enim non sint
nudi, sed omni genere ornatus Rhetorici uestiti, Cæsar
ipse suo testimonio, & nostræ Analyseos ratio & suba-
ductionis totius summa, quam singulis libris subiicia-
mus, amplissimè refutabit. Atq; hæc orationis cum pu-
ræ, quam Grammatica, tum ornate, quam Rhetorica
docet, adiumenta Iuliana sunt. Ad rationis uerò Lo-
gicam prudentiam quod attinet, ut Iulius ipse omnium
Romanorum ducum prudentissimus fuit: ita in his suis
Commentarijs prudentiæ exempla Logica multa ex-
pressit. ΕΠΙΣΑΘΖ ΟΙΟΜΕΘΑ ΕΥΧΑΤΟΡ ΑΠΛΩΣ, ΟΤΑΡ
ΤΗΡ ΑΙΤΙΑΡ ΟΙΩΜΕΘΑ ΥΙΥΝΩΣΗΦΡ, ΔΙ ΗΡ ΤΟ ΠΡΑΥΜΑ
ΒΣΗΡ, ΟΠΙ ΕΚΕΙΝΣ ΑΙΤΙΑ ΒΣΗ, ait Aristoteles. Ex causa-
rum enim fonte omnis humanæ scientiæ solida con-
stansq; cognitio demonstratioq; depromitur. Iulius
igitur, tanquam in politica & militari schola Aristos-
telis discipulus, singulis ferè libris magistro suo rerum
à se gestarū causas attentè & sedulo commemorat. In
primo statim libro causas Helueticæ & Belgicæ fortis-
tudinis: causas Dumnorigis puniendi: causas secundæ
aduersus Heluetios prælij recenset: effectus orationis
ad milites habitæ, qua miros motus in animis eorum
excitauit, demonstrat: adiuncta legatorum, qui publica-
cè à principe aut Repub. mittuntur, enumerat, & ut
nihil ad Logicam uirtutem desit, exempla distributio-
nis in Galliæ diuisione: descriptionis autem in Helue-
ticæ situ ob oculos ponendo, in Vesantione urbe Sequas-
norum,

norum, in Ariouisto Rege Germanorum depingendo
illustra proponit. Libro secundo coniurationis Belgicae,
in tertio causas rebellionis Valesianae in Alpibus:
& belli Veneti in Gallijs: in tertio causas belli Germa-
manici & profectionis in Germaniam: in primo de
bello ciuili, causas quoq; eius describit. Sed quid mul-
tis exemplis opus est: nullus est dialecticae inuentionis
locus, qui non pulcherrimis & aptissimis exemplis ex
Iulio illustrari possit. Et ut à Grammatica, Rhetori-
ca, Logica, hoc est, à Philosophiae administris artibus,
ad ipsam Philosophiam & eius partes Mathematicam,
Physicam, Ethicam ueniamus: in Iulianis com-
mentarijs multa etiam Arithmeticus inueniet, quae ad
suae artis illustrationem utiliter transferre possit: multa
& Geometra magna cum suauitate & delectatione
recognoscet: multa architectus, pictor, opticus. Quam
.n. artificiosè à Iulio non modò confectus, sed et descri-
ptus est pons ille, quem bis supra Rhenū flumen latissis-
simum, rapidissimū et altissimū, mira celeritate, breuissis-
simoq; tēporis spatio extruxit? Quāto artificio quāmq;
Geometrico Auaricum Biturigum urbem turribus &
aggeribus excitatis obsedit: quā ingeniosè in obsidia-
one Alexiae, pluteos, uallū, loricas, cippos, lilia, stimu-
los adhibuit. Quā callidè in Massiliensi oppugna-
tione storijs, musculisq; suos milites textit? quā prou-
denter ad Vxellodunum cuniculis actis & uenis inter-
cisis fontem auertit: erectaq; turri ab aquatione incon-
las prohibuit? Ex quibus omnibus apparet, Caesarem
non minus elegantem Geometram & Architectum,
quā strenuum aut prudentem ducem fuisse. Ad Phys-
icam uerò quod attinet, eiq; subiectam Geographiam,
nulla

nulla ferè pars est mundi, quam non aliqua ex parte
depinxerit: adeò per Hispaniam, Gallias, Britannia
am, Germaniam, Italiam, Epirum, Thessaliam, Asiam,
Aegyptum, Africam, per quæ loca illum cursus fortu
nae & uictoriarum circumtulit: per illas, inquam, ora
bis tum habitati partes mira cum omnium locorum de
scriptione & lectionis uoluptate lectorem secum cir
cumagit. Quorum omnium locorum descriptionem, si
quis cum Chorographia, Topographia & Geometria
ca singulorum designatione coniungeret: & claras
urbes, portus, littora, freta, sinus, isthmos, promõtoria,
campos, colles, cliuos, rupes, agros, syluas, nemora,
saltus, oppida, colonias, municipia, castella, uicos, pas
gos complecteretur: iustam propemodum Imperij Ro
mani ueteris definitionem quasi in tabula spectandam
proponere posset. His accedit physica maximorum in
Oceano maritimorum aestuum ex plena Luna: & dul
cium aquarum in Alexandrini maris littore inuentio.
Accedit animalium in Hercynia Germaniæ maxima
sylua descriptio, ut Boum, ut Alcium, ut Vrorum. Ar
boris item Taxi, et plumbi albi & glasti in Britannia,
aliarumq; rerum physicarum commemoratio. Quæ
omnia Iulianum physici rerumq; naturalium studium
arguunt: ut omittam, quæ de Gallorum Druydibus
philosophatur, quos de syderibus atq; eorum motu, de
mundi & terrarum magnitudine, de rerum natura,
de deorum immortalium ui ac potestate disputare, &
disputationum illarum capita iuuentuti tradere scri
bit. Quod ad Ethicam attinet, totus ferè est in uete
rum Gallorum & Germanorum Moribus describens
dis, quæ utrorumq; fortitudo in bellis & periculis, quæ
temperans

Cæsar igitur vobis
est cognoscendus.

temperantia in uictu, cultu, habituq; corporis, quæ
prudentia in artibus & administratione Reip. quæ
deniq; iustitia in his moribus ad communem utilitas
tem & suum cuiq; distribuendum dirigendis conforma
mandisq;, adeo ut si hos Iulianos commentarios Ethica
cam & exemplarem morum philosophiam appella
mus, uideamur id non ineptè facturi. Præcipuè uerò id
memorabile est, quòd patriæ nostræ Germaniæ magni
ficentissimam fortitudinis bellicæ laudem tribuit: cui
accedit & aliarum uirtutum, quæ in maioribus nostris
emicuerunt, & adhuc in nobiles ac politicis uiris
summoperè requiruntur: præclara laudatio. Præter
hec, etiam ipsius Cæsaris præclaræ & heroicæ uirtus
tes nobis hic uiua quadam pictura ita exhibentur, ut
eius fortitudinem & animi magnitudinem, sedulitas
tem ac uigilantiam horribilem, moderationem & cle
mentiam in tota gubernatione, ac præcipuè in uictor
rijs: summam deniq; prudentiam tanquam reliqua
rum uirtutum fontem perennem, ceu in bono lumine
aspicere possimus. Atq; hæc Ethica sunt. Politica uerò
tam exempla quàm præcepta hinc plurima haurire
licet: sicut & illa quæ ad disciplinam militarem faci
unt: Neque enim sumus Latinorum poëta tam doctè
insignem domestica & bellica disciplina uirum in
Aenea suo fingere potuit, quàm expressè & uerè in
nostro Cæsare exemplum uiuum editum est. Quæ cum
ita se habeant, diligenter & sedulò hi Iuliani com
mentarij uobis A V D. legendi & terendi sunt, ut non
modò purè & eleganter loqui & ornatè dicere, sed
& sapere ac rectè agere discatis: & omnium uirtus
tum ethicarum & politicarum exemplis reliquis ue
stri

stri ordinis nobilibus ac politicis uiris praeceatis,
eaq; teneatis & exerceatis, quae rectissima honestissima
maq; sunt, & ad humanam politicamq; uitam utilissima.
Recte quoq; omnino illi facient, qui per Italiam
aut Galliam peregrinaturi sunt, si Caesarem hunc quae
si uiae ducem secum sumserint. Valde enim gratum est,
& nescio qua uoluptate animos peregrinantium per
fundit, cum animaduertunt se eadem uestigia preme
re, eademq; loca uidere & terere, in quibus olim praes
stantissimi quiq; uiri constiterunt, & suae uirtutis mo
nimenta impresserunt. Nos itaq; praeter Grammaticam,
Rhetoricam, Logicamq; Analysin, etiam Mathematicam,
sicubi occurreret, Geographicam, Physicam, Ethicam,
Politicam, Militarem & castrensem assumemus: & quasi κτήματα
facere conabimur. Sed quoniam de Commentarijs ipsis satis diximus,
paucam etiam de autore libri ipsius dicamus, hoc est, familiam
& natales eius persequamur: caetera enim lectioni
commentariorum committemus, in quibus uita eius &
res ab ipso gestae plenissime continentur. Quod igitur
ad familiam Iulij Caesaris attinet, pro certo habetur,
gentem Iuliam ab Iulo Aeneae filio manasse, qui Laui
nio relicto Albam longam condidit, in qua etiam re
gnauit. Eo mortuo, cum ad Ascanium Lauinia atque
Aeneae filium Latinum redisset regnum, cura sacro
rum ceremoniarumq; Latinae ac Troianae gentis penes
sobolem Iuli mansit, ex qua sunt Iulij. Hos cum alijs quibus
dam nobilissimis Latij familijs Tullius Hostilius
Ro. rex, postquam Albam diruisset, Romam transtula
lit, ac in patres cooptauit. Serò ad magistratus emer
serunt, nempe inter patricios maiorum gentium ferè

G

postremi,

postremi, anno V. C. altero & trecentesimo, Cn. Iulio decemuiro legibus scribendis electo. Omnis generis honores deinde nactus, mansit in patriciatu & ordine senatorio, mediocribus opibus, nullo insigniter præstanti uiro, factisue præclaris illustrior. Natus autem est Cæsar Romæ, C. Mario & L. Valerio Flacco Coss. anno V. C. 654: ad 3. Idus Quintileis, qui mensis post eius mortem lege Antonia Iulius est ea de causa dictus. Educatus est apud Aureliam C. Cottæ filiam & Iuliam amitam, Marij coniugem: unde illi patrio amor plebeie factionis Marianæ & odium Syllæ, ut Plutarchus in Cæsare refert. Literas Latinas & Græcas & Rhetoricam didicit à M. Antonio Gniphone, homine Gallo: qui magno ingenio uir ac singulari memoria, præterea moribus comis & natura facilis, primò in ædibus L. Cæsaris patris Græcam & Latinam Grammaticam & Rhetoricam docuit. Fuit Cæsar admirabili docilitate, et ad dicendi facultatem aptus. Sermo eius excultus est domestica consuetudine ab Aurelia matre, quæ purè atq; eleganter Romanè loquebatur, ut Mutiæ, Læliæ, Corneliæ, et aliæ primariæ matronæ: in quarum familijs insignes oratores extiterunt.

Quod ad prouinciam Gallicam Cæsari demandatam attinet, de illo Suetonius sic ait: Socero L. Pisone & genero Pompeio suffragantibus, ex omni prouinciarum copia, Gallias potissimum elegit, cuius emolumento et opportunitate idonea sit materia triumphorum: & initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adiecto, lege Vatinia accepit: mox per Senatum Commatam quoq;: ueritis patribus, ne si ipsi negassent, populus

pulus & hanc daret. Quo gaudio elatus, non temperavit, quin post paucos dies frequenti curia iactaret, inuitis et gementibus aduersarijs, adeptum se quæ concupisset: proinde ex eo insultaturū se omnium capitibus: ac dicente quodam per contumeliam, facile hoc cuius scemina fore, respondit in Assyria quoq; regnasse se Semiramim, magnamq; Asiae partem Amazonas tenuisse quondam. Gessit autem 9 annis, quibus in imperio fuit, hæc fere: Omnem Galliam, quæ à saltu Pireneo Alpibusq; & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, in prouinciæ formam redegit, eiq; in singulos annos stipendij nomen imposuit. Germanos qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum ponte fabricato aggressus, maximis affecit cladibus. Aggressus & Britannos ignotos antea, superatisq; pecunias & obsides imperauit. Per tot successus, non amplius quàm ter aduersum casum expertus, in Britannia classe ui tempestatis propè absumta, & in Gallia ad Gergouiam legione fusa, & in Germanorum finibus Titurio & Aurunculeio legatis per insidias cæsis. Hæc Suetonius. Plutarchus uerò in ipsius uita ita dilaudat Cæsaris illam Gallicam militiam, ut non modo ueteribus eum ducibus æquet, uerum etiam omnibus præferendum esse existimet. Nam si quis, inquit præclarus ille & philosophus & historicus, Fabios, Scipiones, Metellos, Syllam, Marium, utrumq; Lucillum & Pompeium ipsum, cuius fama ad coelum usq; peruenit, in omni genere bellicarum uirtutum conferat, Cæsaris gesta longissimè superabunt. Alium enim asperitate locorum in quibus bella gessit, alium magnitudine regionis quam acquisiuit, alium multi-

tudine & ui hostium quos uicit, alium feritate & per-
fidia morum quos expolijt, alium moderatione & cle-
mentia aduersus eos quos cepit, alium muneribus &
liberalitate erga commilitones: omnes uerò multis-
tudine præliorum & numero uictoriarum superauit.
Nam intra decem annos, quibus in Gallia bellum ges-
sit, octingentas urbes ui cepit: trecentos populos sub-
iugauit: aciem uerò contra myriades trecentas, id est,
contra tricenas centena millia instruxit: è quibus cen-
tum myriades, id est, decenas centena millia occidit: to-
tidemq; uiuos cepit. Sed quoniam de Commentarijs Iu-
lianis, & de Cæsaris familia rebusq; gestis satis præ-
fati sumus: prolegomena quoq; pauca præmittemus:
& primò quidem omnium horum librorum Chronolo-
giam breuissimam succincta quasi tabella compre-
hendemus: postea uerò locos Ethicos Politicos
cosq; & discipline militaris præ-
cepta proponemus.

SECUN-

SECUNDA
PANEGYRIS AL-
TORFIANA,



Anno
cIo. Io. LXXVIII.
CELEBRATA.

INVITATIO AMPLISS.

SENATVS NORIBERG. SCRIPTA
per Georgium Pulmarium: recitata
per Hieronymum Paumgart-
nerum Noribergen-
sem.

Exordium a
causis per
diuersa.



Narratio:

Non audacia aut temeritate ulla impulsi
Viri omnium amplissimi, & claritate ge-
neris, uirtute ac prudentia haud uulgarè
præstantissimi & c. Verùm potius autho-
ritate & uoluntate magistratus nostri Scholastici ad-
ducti, hoc adeundi & compellandi magnificentiam &
amplitudinem uestram onus honestè suscepimus. Non
enim uel adeò temerarios uel etiam impudentes nos
natura finxit, ut sine probabili ratione eam rem ma-
gnam quidem & satis arduam aggrediamur. Itaq; ue-
niã nobis, pro ea qua præditi estis humanitate & prus-
dentia singulari, haud grauatim dabitur, & hoc quod
in mandatis habemus, benignè & beneuolè audietis
& c. Meministis, Viri magnifici, scholam superioribus
annis Altorsij constitutam & apertam, diemq; illum
Apostolorum Petri & Pauli solenni introductioni sa-
crum, publicis etiam in posterum classium progressio-
nibus sapienti consilio destinatum, ut non modò tanti
beneficij, constitutionis scholæ nimirũ diuinitus adiu-
tæ memoria conseruetur, celebretur, & ad posterita-
tatem propagetur: uerùm ut & illius incrementa non
aspernanda, docentium fides & sedulitas, iuuentutis
deniq; labor & industria quàm plurimis innotescat.
Pietatis enim est, diuinum hoc beneficium, et summum
in uita

inuita bonum, quo laudatissima Noribergensium Res
publica à Deo Opt. Max. ornata est, debita cum
reuerentia agnoscere, & illud inter reliqua citra ul
lam intermissionem grata mente celebrare, nihilq; pri
us aut antiquius diuturna huius memoriae conseruatio
ne ducere: prudentiae uerò non uulgaris, illas ipsas
progressiones peculiari quadam solennitate ac ritu in
signes simul introductas esse, ita ut non solum doctio
res eruditionis suae specimen edant, praemia accipiant,
primasq; inter ceteros teneant: uerum ut & rudio
res hac ratione & spectaculi celebritate ad studiorum
amorem, et in discendo diligentiam maiorem inuiten
tur, & quasi instigentur.

Cum itaq; Viri amplissimi & prudentissimi, dies Causa inui
tationis.
ille festiuitati huic scholasticae legitime consecratus
appropinquet, & examine per totum Gymnasium à
Magnifico domino Rectore & ceteris ipsius Collegis
hisce diebus instituto, mores & ingenia discipulorum sa
tis explorata esse uideantur, nihilq; restet amplius,
quam ut nonnullis ad superiores classes ascensus, non
nullis uerò publicas audiendi lectiones facultas, in
terueniente Magnificentiae & amplitudinis uestrae
praesentia, honorifice concedatur: Ea tandem, qua
par est, animi subiectione & obseruantia Magnifi Inuitatio
centiam uestram, adeoq; uniuersum inclytæ Reipub
licae Noribergensis amplissimum Senatum, ceterosq;
de Gymnasio & studijs nostris non male meritos, to
tius collegij ac scholae nomine obnixè rogamus, ut ad
cetera in nos innumerabilia officia & hoc addant,
atque sua praesentia hanc ipsam solennem Panegy
rim, ad dictum diem, Apostolorum Petri & Pauli me

moria celebrem, cohoneſtare non dedignentur, quò ita
& ſtudioſa iuuentus & reliqui ſpectatores aliunde
aduenientes, cuiuſcunq; ſint conditionis ac dignitatis,
Magnificentiae ueſtræ, adeoq; totius ampliſſimi Sena-
tus Reipub. Noribergeniſis erga nos & humanitatis
ſtudia propenſam uoluntatem ac beneuolentiam haud
obſcurè cognoſcant & prædicent, quodq; omnium
maximum eſt, pari etiam amore & fauore ea comple-
cti & proſequi contendant.

Pollicitatio. Pro hac beneuolentia, nequaquam in minimis ha-
benda, debitam gratitudinem, cum perpetua obſer-
uantia & obedientia coniunctam, totius Gymnaſij
tutelæ amplitudinis ueſtræ ſubiecti nomine
reuerenter & ſubmiſſè pollice-
mur. &c.

PROGRAM-

PROGRAM=
MA PP. PRIDIE DI
VORVM PETRI ET
PAVLI,

*Rector Gymnasij Altorfiani
Studiosis S.*



VM LYSANDER, LACE-
dæmoniorum imperator, ali-
quando interrogaretur, quæ
Respub. sibi probaretur maxi-
mè, respondit, eam, in qua for-
tibus viris & meticulosis congrua redde-
rentur: significans, Virtuti præmia, igna-
uiæ vero pœnas deberi. Lysandro Demo-
sthenes noster assentitur, qui iubet ἀξίως
ἐπαίνου πμᾶρ, ἀδίκουσιντας δὲ κολάζειν. Et re-
cte quidem vterq;. In tali enim Repub. di-
sciplina optime conseruatur. Nam sicut pœ-
næ à vitijs homines deterrent, ita vicissim
præmijs ad virtutis studium incenduntur.
Non solum autem in politicis rebus ad ci-
ues, aut bellicis ad milites, sed in scholasti-
cis etiam cœtibus ad studiosam iuuentutem
id fieri utile est. Nisi enim negligentes &
ignavi sua quadam ignominia, industrî ve-
ro honore & præmijs afficiantur, studia li-
terarum breui concident, neque posteritas

G 5 nostra,

nostra, quibus in administratione Ecclesiae,
scholarum & politiarum utatur, habebit.
Atque hoc inter alia Amplissimi & Pruden-
tissimi Reipub. Noribergensis Senatus, Do-
minorum nostrorum, &c. consilium fuit,
cur, ut anno superiore, ita hoc etiam tempo-
re, pro ratione ingeniorum & eruditionis
praemia discipulis distribui velit. Nos igitur,
elapsis aliquot diebus, ingenia & doctri-
nam in hoc gymnasio nostro discipulorum,
quemadmodum leges & statuta iubent, ex-
plorauimus, Et quia de sententia Collegii,
nonnulli, qui diligentiam suam nobis pro-
barunt, crastino die, Petro & Paulo Apосто-
lis sacro, ad classes superiores solenniter
promouendi sunt, aliqui etiam publici cre-
andi, & praemia his distribuenda, scilicet holoasti-
cis nostris singulis & vniuersis mandamus,
ut cras hora septima in auditorio publico
conueniant: ibi Dominos praecipuos ex-
pectent: hos primum in arcem, post ad tem-
plum ad concionem audiendam, ac tandem
sacris ibi peractis ad Collegium modestum
comitentur: atque ita solennitatem hanc no-
stram frequentia sua ornent. Quod singu-
los, pro ea quam Collegio debent obser-
uantia, facturos, nobis plane per-
suademus. P. R. IIII. Kal.

Iulij, Anno Chri-
sti

MD. LXXVIII.

ORATIO

ORATIO RECITATA

A IOHANNE THOMA FREI-
gio I. V. Doctore.

Etsi, Illustrissimi & generosi Comites, uirū
amplissimi, generis nobilitate, eruditione,
prudentiāq; præstantissimi, Scholarchæ
dignissimi, uosq; cæteri auditores & hos-
pites gratissimi, uobis non ignotum esse sciam, quid
hæc nostra secunda Panegyris sibi uelit: ideoq; causas
ex alto repeti non necesse sit, præsertim cum mens &
uoluntas Amplissimi senatus & legum nostrarum sa-
tis aperta & omnibus in promptu sit: argumenti ta-
men, quod mihi in hoc conuentu amplissimo, & ad as-
gendum ornatissimo, tractandum suscepi, rationem
reddendam existimaui, propterea quod quæ me ratio
excitarit ad id deligendum, eadem uos quoq; erigere
debet ad audiendum. Nam me cum studiorum meorum
ratio, tum eorundem quoq; professio ad hoc argumen-
tum hortata est: at uerò ut id alacrius lubentiusq; sus-
ciperem, uestra quoq; auditores amplissimi, autoritas
& in omni doctrinarum genere eruditio propemo-
dum coëgit. Non enim ex intimis philosophiæ pene-
tralibus, aut acutissimis I. C. disputationibus, spino-
sam aliquam aut obscuram declamationem, sed popu-
larem & toto tractationis genere illustrem, omnibusq;
(ut quidem spero optoq;) gratissimam materiam de-
sumsi: non ut uos docerem aut me ostentarem (nihil
enim à me longius ista populari uenditatione abest)
sed ut delectationem aliquam, si modò id consequi pos-
sem, animis uestris afferrem, & per iucundissimos Ana-
tiquitatis

antiquitatis campos uos mecum, si non corpore, at cogitatione saltem circumducerem. Dicam igitur aliquid hoc loco, quantum quidem angustia temporis patietur, cum de totius, tum uero praecipue de Romanae antiquitatis studio. Sed ut per immensa illa et retrusa uetustatis spacia ordine & uia progrediar, uaria duntaxat Antiquitatis genera recensebo: caetera quae de Antiquitate dici possent, nimirum quantum illi tribuendum & credendum sit, & an antiqua nouis ubiq; & semper preferenda sint: adolescentibus illis committam, ut eis ἐκάτερον, hoc est, in utramq; partem Aristoteles more differant, quo ad ueritatem eo facilius aditus inueniri possit. Ut igitur rem paulo altius repetam: neue in illo latissimo amplissimoq; campo, erroris aut dispendij potius, quam recte breuiorisq; uiae, dux & monstrator sim: monstrandi causa quasi in duplicem uiam Antiquitatem diuido, alteramq; Religiosam, alteram uero Profanam appello. Et in religione quidem illa ueterum Ethnicorum gentili, uaria capita uideo, ut de infinito Deorum numero, de sacrificijs, de sacerdotibus, de templis, de statuis seu simulacris, de imaginibus, de ludis, de uotis & alijs. Quod igitur ad illam πλυθειᾶν attinet, praeter Ciceronem, qui ex professo de sui seculi Dijs gentilium in libris de Natura Deorum disputauit, & praeter religionis nostrae antistites Arnobium, Lactantium, aliosq; qui eos errores refutarunt: Plinius ipse in summam quandam ueteros Deos retulisse uidetur libro secundo. Nam gentibus, inquit, Dijs fuerunt uirtutes & uitia, ut pudicitia, concordia, mens, spes, honor, clementia, fides: item poena & beneficium: quimetiam inferi in genera descripti: adhaec

adhæc morbi & pestes, dum esse placatas trepido metu cupiunt: ideoq; etiam publicè Febri & malæ fortunæ fana dicata fuerunt. Pro Dijs item culti fuerunt Genij & Iunones, quos quilibet sibi adoptabat: animalia quoq; ut Ibides: aliqua etiam obscœna, ut Priapus: cibiq; scœtidi, per quos iurabant: astra deniq; & fortuna, quæ toto mundo inuocatur & sola utramq; paginam facit. Hæc eadem numina, Iuuenalis Aegyptijs quoq; ascribit, cum ait:

Quis nescit, Volusi Bithynice qualia demens
Aegyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc: illa pauet saturam serpentibus Ibim.
Effigies sacri nitet aurea cercopithecii.
Porrum & cepe nefas uiolare ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina.

Inuita in hoc loco oratio nostra uersatur: sed Antiquitatem inquirenti hæc negligenda non fuerunt. Et gratiæ summæ agendæ sunt Domino nostro Iesu Christo, uero Deo ueroq; homini, hoc est, θεῶν θεῶν πῶ, quòd has tam crassas tenebras à Christianorum animis Euangelij sui clarissima luce dispulit, dissipauit, extinxit. Sed illis gentilitijs dijs, quos sacerdotes & quæ sacrificia, nisi consimilia, facta existimabimus? Sacrificiorum itaq; uaria genera fuerunt. Erant quædam, quibus utebantur in ludis secularibus: erant & ambrosialia, quibus arua & fruges porca lustrabant: erant alia gentilitia, familiarumq; propria: alia uotiuæ pro uotis publicis: alia Vestaliũ uirginum, ignem perpetuum conseruantium: alia soteria pro salute Principum. His accedebant uaria genera instrumentorum,

rum, ut acerræ, thuribula, præfericula, sympula seu
sympuua, & quas Cicero in paradoxis capedines &
fictiles urnulas uocat: item candelabra, pateræ, disci,
secesspitæ, seuæ, enclabria, dolabræ, ollæ: Sacerdotum
item species plurimæ, ut fratres Aruales, qui ea sacra
Ambarualia, de quibus diximus, procurabant: ut Aus
gures, quorum tanta autoritas fuit, ut sine augurijs
nec extra nec intra urbem quicquam gereretur. Ho
rum erat cauea pullaria: horum tripudium solistis
mum: horum auguralis baculus, qui lituus dicebatur:
His adde Flamines, quorum tot fuerunt, quot Deos
Romani habuerunt. Hinc Flamen Dialis, Martialis,
Quirinalis, Vulcanalis, & inter hos unus præcipuus
Archiflamen. Adde sacerdotes Salios, à saliendo di
ctos, cum suis Ancilibus: Adde septemuviros epulones,
Duumuiros, Decemuviros & Quindecimuviros, &
ipsum summum Pontificem. Accesserunt autem postea
sodales Augustales, Antoniniani, Aureliani, Faustini,
Sibyllini, Lupercales, quibus addere licet Victimarios
& Popas: & ex mulieribus Vestales & Bacchas, quæ
etiam Mimallonides dictæ sunt. Quid de templis di
cam, quæ uaria religione tam uarijs Dijs substruebant
tur? Hinc primò templum omnium Deorum, ideoq;
Pantheon dictum: hinc templa Iani & Iouis, & Iouis
quidem partim ultoris, partim Olympij, partim Fere
trij, partim Tonantis: item templa Iunonis, Libertat
is, Dianæ, Aesculapij, Concordiæ, Mercurij, Pacis, Ve
neris, Bacchi, Virtutis, Fœlicitatis, Victoriæ, Pietatis,
Sanitatis, Solis, Fortunæ, Martis, Vestæ, Romæ, Hono
ris, Aeternitatis, Fidei, Herculis: unâ cum omnium ill
lorum statuis & imaginibus. Ne omittam interim li
teras

teras Hieroglyphicas, quibus suorum numinum maiestatem, si Dijs placet, uelabant, ne tam angusta mysteria aliquò in uulgus manarent: quæ tamen postea Orus publicauit & ad posteritatem prodidit. His adde uaria ludorum genera, ut sunt Megalenses, Apollinares, Augustales, Capitolini, Castrenses, Circenses, Consuales, Compitalitiij, funebres, gladiatorij, Iuuenales, Martiales, Plebeij, Equiria, Scenici, Seculares, Taurij, Theatrales, Troici. Adijce Ferias partim proprias familiarum, partim publicas, easq; uel Statas Statiuasq; ut fuerunt Agonalia, Carmentalia, Lupercalia: uel Conceptiuas, quæ quotannis à magistratibus concipiebantur, ut Latine, Sementine, Paganalia, Compitalia: uel Imperatiuas, quas Coss. & prætores pro arbitrio indicebant: uel Nundinas, quæ erant paganorum & rusticorum. Accedunt ad extremum & uota publica, eaq; uel quinquennalia, uel decennalia, uel uicennalia, uel tricennalia, uel quadricennalia. Sed ut è continuo isto quasi cursu interspirandi spaciũ sit: ista pauca de antiqua religione sufficiant.

Sequitur ut de Antiquitatis altera specie dicamus, quam profanam appellauimus: quæ in duas partes rursus separari potest: in politicam & bellicam. In politica antiquitate sunt hæc: status Reipub. comitia, classes, iura, leges, iudicia, magistratus, Fasti, & alia. Quod ad statum Reipub. attinet, constat Remp. Rom. omnes politiarum formas expertam esse. Regia enim principio fuit, paulò post in tyrannidem conuersa. Tyrannis uerò expulsis, Aristocratia in patribus secuta: sed eadem repente per auaritiam & libidinem in Oligarchiam mutata est. Hinc plebis secessione
tribunatus

tribunatu constituto, Democratia species quaedam exa-
titit. Tres uero ordines populi fuerunt, Senatorius,
Equester & Plebeius: ipse uero populus in XXXV
curias, & V classes diuisus. Comitiorum genera duo
fuerunt: Curiata & Centuriata. Curiata, cum popu-
lus curiatim calabatur per lictorem. Centuriata, cum
centuriatim per cornicinem: quae ipsa quoque Calata
uocabantur, si pro collegio Pontificum, aut regis sa-
crorum aut flaminum inaugurandorum causa habe-
rentur. Fuit & tertium genus Tributorum comitio-
rum, in quibus plebs per XXXV tribus distributa,
suffragia ferebat. Iura autem alia ciuium Rom. alia
Italorum, alia prouinciarum. Leges item aliae de li-
bertate, ut leges sacratae: lex Valeria, Porcia, Sem-
proniana: aliae de testamentis, ut Furia, Voconia, Falcia,
Fusia Caninia, Antonia: aliae de ambitu, ut lex
Petilia, Calphurnia, Tullia, Pompeia: aliae theatrales
de spectaculis, ut Roscia & Iulia. De quibus omnibus,
sicut & de Iudicijs, nostra aetate omnium elegantissimè
scripsit uir clarissimus Carolus Sigonius, quo uno
hodie Italia doctiorem non habet. Magistratus uero
Rom. ut & ipsi uarij erant, sic & uaria insignia ha-
bebant. Reges trabea utebantur & sella curuli cum
XII lictoribus, qui praebant cum securibus & fasci-
bus: ipsi stipati interim Celerum cohorte. Senatores
(quorum numerus primò centenarius, postea ad tres-
centos, tandem ad mille creuit) lato clauo & calceis
lunatis à reliquis ciuibus distinguebantur: sicut Equi-
tes annulo aureo: diuisiq; erant senatores in patricios,
conscriptos, allectos & pedarios. Consules bini
erant, ijq; annui: quam dignitatem qui petebant, can-
didati

didati dicebantur, ijq; tribus circumibant, singulosq;
prensantes, gratiam & suffragia colligebant, uno
quoq; plebeiorum & popularium benigne & nomi-
natim appellato, quam ad rem nomenclatores habe-
bant, qui singulorum nomina tenebant, candidatq;
suggerebant. Consules ipsi in bellum profecturi, palus
dati erant, id est, paludamento (quæ chlamys erat
Imperatoria) induti. Præfectorum quoq; non unum
fuit genus: hinc præfecti annonæ, præfecti uigilum,
præfecti legionum, alarum, cohortium, castrorum, fa-
brorum: præfecti urbis, præfecti prætorio. Erant item
prætores tam urbani quàm peregrini: dictator & ma-
gister equitum: Tribuni plebis, militum, ærarij: cen-
sores, ædiles, quæstores, decemviri & alij. Ad hanc po-
liticam antiquitatem Fastos aggregauimus, quibus
magistratum Rom. annuam descriptionem cum re-
bus illorum gestis accuratè annotatam habemus: quo
in genere olim Cassiodorus, hodie noster Sigonius fe-
licissimè utilissimèq; elaborarunt. Vestes item ueterum
uel muliebres fuerunt, ut stola: uel uiriles, ut toga:
& togarum aliæ prætextæ, aliæ puræ, aliæ picte, aliæ
regiæ, aliæ candidæ, aliæ pullæ: aliæ bellicæ, ut palus
damentum, sagum, caligæ, lacerna: aliæ contra tem-
pestates comparatæ, ut penula & scortea. Vasa uerò
& ipsa uaria extiterunt, ut gabatæ, paropsides, scutus
le, lances, catini, sympula, magides, urnæ partim cinea-
rum, partim lacrymarum: fictilia item, quibus Porsena
delectatus dicitur, unde fortasse illa, quæ hodie Porse-
bena uocantur. De quibus omnibus, sicut & de uesti-
bus, Lazarus Baysius accuratè scripsit. Ampla quoq;
& latè peruagata est res nummaria: quot enim num-

H

mi, tot

mi, tot ferè formæ inueniuntur. Nam ut V Vilhelmus
Brassicanus Gallicus autor amplissimè deduxit, uetes
res in nummis sculpebant fundebantq; templa, pro
uincias deuictas, caduceum, dextras inter se iunctas,
Ianum bisfrontem, quadrifrontemq; naues, manipulos,
cornu copiae, capram Amaltheam, fulmen, honorem
& uirtutem, pauonem, aquilam, noctuam, struthio
nem, formicam, quadrigas, bigas, matrem Cybelem,
apros, canes, ceruos, damas, tauros, leones, delphinos,
hippopotamos, serpentes, pileos cum pugionibus, li
bras, elephantos, lynces, tigrides, Mercuriolos peta
satos, lupam geminos alentem, Solem, Lunam, Ro
mam septicollem, Italiam, Victoriã, clauam Hercu
lis, Cerberum, citharam, Marsyam excoiatum, tripod
des, cupidines, crocodilos, agnos, Pegasos & alia pro
pmodum infinita. Aedificiorum item magnum dis
crimen fuit: hinc theatra, amphiteatra, circus maxi
mus, agonalis & alij: & in his obelisci ac metæ: hinc
arcus triumphales, odea, orchestra, thermæ, nauma
chia, mausolea, hippodromi, colossi, basilicæ, gestatio
nes, aggeres, aquæductus, castella aquarum, pile in
mare iactæ, cryptæ, piscinæ, armilustria, pontes, nau
ualia. Accedunt his inscriptiones antiquorum mar
morum & lapidum: elogia item, epitaphia & simi
lia. Nec minima pars antiquitatis in Notis sita est,
quæ uel priuatæ erant uel publicæ. Priuatæ in monu
mentis & sepulchris, ut I. O. M. S. Ioui Opt. Max.
sacrum. D. M. S. Dijs manibus sacrum. H. M. P.
Hoc monumentum posuit. T. P. I. Testamento poni
iussit. H. M. D. M. A. Huic monumento dolus ab
esto. H. S. E. S. T. T. L. Hic situs est: sit tibi terra
leuis:

*leuis: & his alia similia. Publicæ notæ erant in nomini-
 bus magistratum, ut DICT. R. G. C. Dictator rei gerendæ causa. S. S. C. seditionis sedandæ causa.
 R. P. C. C. Reipub. constituendæ causa. Item in officijs reliquis, ut III. Vir. A. A. A. F. F. auro, argento, ære flando feriendo, hoc est, Triumvir Monetalis. II. Vir I. D. Duumvir iuri dicundo. Q. I. H. H. M. E. qui in hoc honore mortuus est. L. F. Lustrum fecit, quod ad Censores tantum pertinebat. Item in legibus ferendis usitate erant notæ hæ: Q. D. E. R. F. P. Quid de ea re fieri placeret. D. E. R. I. C. De ea re ita censuerunt. S. Q. R. E. Q. R. I. N. S. E. H. L. N. R. E. Si quid rogatum est, quod rogari ius non sit, eius hac lege nihil rogatum esto. His & similibus notis ueteres populos plurimum in scribendo usos fuisse, multorum autorum testimonijs comprobari potest. Nam ut de Hieroglyphicis, quas uocant, literis taceam, sic de usitata apud Aegyptios pingendi scribendiq; consuetudine Ammianus Marcellinus, Non enim, ait, ut nunc literarum numerus præstitutus & facilis exprimit, quicquid humana mens concipere potest, ita prisca quoq; scriptitarunt Aegyptij, sed singulæ literæ singulis nominibus seruebant, & uerbis nonnunquam significabant integros sensus. Quem etiam scribendi morem à Grecis celebratum fuisse, cum alijs argumentis & indicijs multis, tum etiam ex Solino comprobari potest. Refert enim ex M. Tullio olim quendam fuisse, qui uniuersum Homeri poëma ita subtiliter in membranis descriptum haberet, ut illud totum leui putamine nucis concluderet: nimirum quod signis atque notis & ijs quidem ualde exilibus depis-*

Etum esset. In quibus effringendis Mirmecydem Milesium & Callicratidem Lacedæmonium potissimum excelluisse refert Aelianus, quos fama fuit in sesamo (quod minutissimum genus seminis est, milio panicòq; similimum) distichū elegeium literis aureis inscripsisse, hoc est, notis quibusdam et signis. Rarò enim ueteres integris in scribendo literis utebantur: unde memoratur apud Galenum lib. 7. de compositione medicamentorum, Menecratis quondam Medici liber ὀλοζφραματόν, quòd integris literis exaratus esset. Receptus etiam aliquando est apud Romanos scribendi per literarum compendiamos, autore potissimum Meccenate, quem scribit Dion inuenisse primum quasdam literarum notas, quibus celerrimè scribi posset, easq; per Acilium libertum publicasse. Hæ Iustiniani tempore siglæ uocatæ fuerunt, ut scribit idem in Græca constitutione, auctoritatem legis Pandectis tribuente. Quarum intelligentia cum paulatim obsoleuisset, nec eæ minus difficultatis legentibus exhiberent, quàm res ipsæ notis descriptæ, Iustinianus, ne quis deinceps notis & siglis (sic enim appellat) in describendis iuris ciuilis libris uteretur, magna comminatione prohibuit. Sed de notis satis. Ad istam Antiquitatem politicam ad extremum referenda sunt exercitia ueterum & gymnasia, de quibus Hieronymus Mercurialis lautissimus Patuinae scholæ medicus scripsit. Hic erant porticus, xysti, exedræ, peristylia, diaulon, ephebæū, corycum, conisterium, hypethræ ambulationes: item athletæ, quorum alij stadiodromi, alij diaulodromi, alij doliachodromi, alij palastritæ, alij pancratiastæ, alij discoboli, alij saltatores, alij pentathli seu quinquertiones.

Exercis

Exercitiorum quoq; genera non eadem : ut harpa-
stum, sciamachia, phennis, acrochirismus, alteres, ὁ
ἐκπλετερίζου, ὁ πνπιλίζου. Verum satis opinor
de politica Antiquitate : ueniamus ad bellicam, quæ
tota est in disciplina militari, eaq; uel terra uel mari :
de qua Vegetius, Frontinus, Aelianus & alij multi.
Hic igitur Imperator exercitus, hic genera militum,
legionis numerus, castrametatio, signa prælij, instru-
menta bellica occurrunt. In prouinciam duo magistra-
tus mittebantur, præses & quæstor. In Præsidis comi-
tatu erant legati, tribuni militum, centuriones, præse-
cti, decuriones, cohors prætoria. Officium autem eius
erat non solum in imperio & bello gerendo ac disci-
plina militari : sed etiam in potestate prætoria : quæ
tum in cognitione & conuentibus indicendis & iuris-
dictione : tum in curatione rei frumentariæ & tribu-
torum ac uectigaliū uersabatur. Quæstor autem pro-
pria administratione curabat pecuniam prædamq;
publicam, & conficiebat earum rerum tabulas. Con-
stabat autem exercitus ex auxilijs sociorum & legio-
nibus ciuium. Numerus legionum primis Romæ tem-
poribus trium millium fuit, ait Varro : postea quater-
nūm millium & ducentū peditum : deinde quinis mil-
libus peditum, trecenis equitibus constitit : & Polybi-
us (qui fuit Africani comes) non amplius quinq; mil-
libus attribuit. Genera autem armatorum duo erant :
pedites & equites. Pedites erant aut iuniores, qui dis-
cebantur Velites : aut seniores, & hi rursus uel ante-
pilani, ut hastati & principes : uel pilani, qui iidem et
triarij erant. In loco autem pro castris delecto, desig-
nabatur punctum pro prætorio & summo ducis tena-

torio: circa id punctum quadratum tanto interuallo,
quantum exercitus requirebat, ducebatur. In eo qua-
drato anguli quatuor erant portæ quatuor: ex quibus
prætoria ad orientem, decumana ex diametro opposi-
ta, quæstoria ad meridiem, quintana ad septentrionem
erat. Tentoria legatorum erant à prætorio hinc at-
que illinc secundum quadrati dimetientem, latera duo
opposita bifariam secantem. Militum uerò legiona-
riorum erant ad portam aquationi & pabulationi
aptissimam, cum tribunis & centurionibus. Equites
ad oppositam reliqui quadrati partem dispositi erant,
inter quos medijs erant socij. Area uerò parallela qua-
druplex erat à legionum tentorijs ad uallum: prima
uacua pro extraordinarijs, secunda latior pro foro-
rerum uenalijs, duæ reliquæ totis castris circumdu-
cebantur. Signa autem bellorum & prælij erant par-
tim uocalia, partim muta. Vocalia erant tubæ, cornua,
litui. Muta erant aquilæ, dracones, uexilla seu labas-
rum & manipuli. Instrumenta belli in illa antiquitas-
te & uaria & ingeniosa fuerunt, de quibus Hero Me-
chanicus, Vireuius, Vegetius & alij, ut sunt uimeæ,
arietes, musculi, turres ambulatoriæ, uallum, testudo
seu Phalanx, catapultæ. Atq; hæc terrestria. In mari
uerò naues usui potissimum sunt, quarum & figuræ
& species antiquis uariæ fuerunt: ut longæ, actuariæ,
onerariæ, liburnicæ, pontones, phaseli: & Græcis $\mu\alpha\sigma\kappa\alpha\iota$,
 $\kappa\acute{\epsilon}\lambda\eta\tau\epsilon\varsigma$, $\omicron\lambda\kappa\acute{\alpha}\delta\epsilon\varsigma$, $\delta\iota\kappa\omicron\tau\alpha$. Prima nauis
longa fuisse dicitur Argo, qua uecti sunt Græciæ prin-
cipes illi Argonautæ cum Iasone in Colchidem ad uel-
lus aureum: cuius meminit Herodotus in initio suæ his-
toriæ, & Apollonius Græcus poëta in lib. 2. Argos
nauticorum.

nauticorum. Habuerunt autem naues sua quoq; insi-
 gnia, à quibus nomina sortiebantur, Græcis πειράσματα
 dicuntur: Inde aliquæ naues uocabantur κρητοί, id
 est, arietes, aliæ τρέχοι, id est, hirci, quòd, ut Baysius
 ait, id genus animalium πειράσματος haberent. Nec
 absimile uero est, ea ratione centaurum, pistrimq; à
 Virgilio in Aeneide appellatam: & hodie Venetorum
 buccentaurum. Sed de Religiosa, profanaq; Antiqui-
 tate, deq; politica & bellica satis iam dictum est: quæ
 præterea de eadem dici possunt, adolescentes isti, quos
 in cathedram deduximus, in utramq; partem disse-
 rent: tu itaq; Philippe Rieterum in hanc palæstram pri-
 mus progredere, & de Antiquitatis iucunditate cum
 utilitate coniuncta, nobis edissere: reliqui tui astites
 alternatim te insequentur.

PRIMA ORATIO DE
 ANTIQVITATIS LAVDE: RECI-
 tata per Philippum Rieterum, patri-
 cium Noribergensem.

Vehementer multumq; gaudeo, Illustrissimè
 & generosi Comites, Viri amplissimi, ge-
 neris nobilitate, eruditione, prudentiaq;
 præstantissimi, uosq; Auditores: mearum
 partium: esse, de Antiquitatis cognitione, eiusq; iucun-
 ditate cum utilitate coniuncta, uerba facere. Etsi autem
 Antiquitati tantum tribuendum existimo, ut quantum
 quisq; in eius cognitione consecutus & adeptus sit:
 tantum quoq; in historiarum noticia eundem consecu-
 tum & adeptum existimem; alijs tamen suum iudicia

um liberum, assentiendiq; necessitate solutum relin-
quere uolo. Nec enim nobis ullam iudicandi sentiendiq;
libertatem assumere aut uendicare debemus, quam non eandem etiam alijs libenter concedere debeamus: præsertim cum nos homines, imò pueros, non Deos, esse meminerimus: ideoq; sæpius in iudicando errare & labi: nec nostros errores & lapsus corrigi emendariq;, Reipub. perniciosum esse sciamus. Quamquam in Antiquitatis laude errare, aut ab omnium hominum consensu aliena abhorrentiaq; dicere quì possumus? Ego itaq; non modò iucundissimam & maxima cum uoluptate coniunctam esse Antiquitatis cognitionem: sed etiam ad historiarum intelligentiam plurimum facere ac prodesse, ex meis præceptoribus me audire memini. Etenim quid iucundius aut gratius esse potest, quam superiorum seculorum memoriam cum nostra ætate coniungere, & quasi in tabella, ab Apelle aliquo depicta, sic intueri res antiquissimas ueterum temporum, ut eæ non legi, sed in re præsentì poni & collocari uideantur? Summa sanè uoluptate nos perfundi sentimus, cum alicuius animantis noui, aut in nostris regionibus non conspecti, formam insolitam intuemur: & uix satiari, uixq; à contemplandi studio deduci possumus: At quantum plus delectationis ex ijs rebus, in quibus ipsa antiquitas cum nouitate certare solet, percipere debemus? Est enim animus hominis ita affectus & comparatus natura, ut semper aliquid ex omni memoria uidere & spectare, & retrò quasi ad primam originem redire cupiat: quæ ipsa animi blanda cupiditas, à natura nobis non est frustra insita. Nam ut noster animus, æternitatis quadam cognatione in-

ne inductus, præscire cupit, quid illi, qui post nos futuri sunt, acturi tractaturiq; sint: ita et quid illi, qui ante nos fuerunt, egerint tractarintq;, studiosè cognoscere desiderat. Exemplum in Aristotele (Peripateticorum, ut quidam Academici uolunt, principe) illustrissimum celeberrimumq; habemus. Nam cum Alexander M. fortissimus Macedonum rex, Herculeæ quadam audacia totum terrarum orbem esset aggressus, nouumq; imperium & nouam Monarchiam comparare & acquirere constituisset: Aristoteles, magister eius, eodem impetu incitatus, omnia ueterum antiquissima monumenta sibi acquirenda & comparanda cogitauit: & ut discipulus ipsius Asiam, totumq; Orientem opibus, gemmis, auro, argentoq;, incredibili in rege cupiditate: ita ipse magister eundem antiquis doctrinarum & eruditi instrumenti monumentis, inexplebili in philosopho auaritia spoliandum proposuit. Quàm igitur iucundum, quàm gratum illi philosophico animo existimamus fuisse, cum in ea monumenta incidit, ad quæ toto animo ferebatur, quæ infinito illo antiquitatis studio & omni contentionis labore ac diligentia optauit affectauitq;? Sic enim nominatim capta per Alexandrum M. Babylone, anno Mundi conditi ter millesimo sexcentesimo trigesimo quarto, quascunq; Chaldeorum antiquitates & Astronomicas observationes potuit, eas omnes conquiri mandauit, ac quasi opima spolia Feretrio alicui Ioui, sic suæ bibliothecæ inferendas curauit. Quis Liuium, summum illum inter Latinos Romanarum rerum historicum, lacteo eloquentiæ fonte manantem, non diligat? Quis Cæsaris in rerum narratione uel fidem

uel purissima & tersissima proprietatis sermonem
non exosculetur? Quis Cornelium Tacitum, prudens-
tissimum & rerum humanarum callentissimum histo-
ricum: qui Reipub. Romanae arcana, principum uita,
unus ferè omnium optimè ante oculos posuit: non ad-
miretur? Quis ceteros tam Græcos quàm Latinos his-
toriae principes non religiosa quadam pietate uene-
retur? At in his cognoscendis miserè operam ponent,
qui ad eos Antiquitatis illius liberali cognitione non
instructi accedent. Nam quod Plato scribit de illis, qui
doctrinam aliquam aut disciplinam, illustribus exem-
plis non adhibitis, se docere aut profiteri posse putant:
idem his accidet, ut nimirum omnia scire & intelligen-
re sibi uideantur, et omnia econtra se nescire fateri cog-
gantur. Nec uerò in historijs solum mirè hallucinas-
buntur, qui Antiquitatis nullam cognitionem habent:
sed & in summis oratoribus, Cicerone, Demosthene,
Aeschine, Isocrate aberrabunt, ac Andabatarum mo-
re pugnabunt, qui illam Antiquitatis lucem secum
non attulerint. Vix enim dici potest, quantis ex Antis-
quitate monumentis, Ciceronis, Demosthenis, Aeschi-
nis & aliorum antiquorum & omni memoria conse-
cratorum autorum orationes & scripta abundant: Ut
interea de Poëtis, Virgilio, Homero, Horatio, Persio,
Iuuenale & alijs taceam. Quæ cum ita sint: sine du-
bio & in confesso esse existimo: magnum studium &
multam operam in Antiquitatis cognitione ponendam
esse, ut non tam historicos illos heroës, sed etiã princi-
pes hos poëtas & oratores faciliore intelligentia con-
sequi cuius promptum paratumq; sit: & studiorũ dulo-
cissimos fructus hoc quasi condimento suauiores gra-
tioresq; reddere possit. DIXI. S Eo

SECUNDA ORATIO,
NON VBIQVE CREDENDVM ES-
se Antiquitati: recitata per Thobi-
am Hallerum, patricium No-
ribergensem.

Audio quidem magnam esse iucunditatem
& utilitatem in Antiquitatis cognitione:
& libenter audio. A multis enim & per
sæpè laudata est illa sacerdotis Aegyptij
increpatio: qui (sicuti Plato refert) Soloni respon-
dit, Græcos nihil aliud quàm pueros esse: Res enim
antiquas eos ignorare. Sic Diodorus quoq; Siculus,
cum historiam scribere instituisset, sese propterea in
Aegyptum traiecisse, & Alexandrinas bibliothecas,
sacerdotumq; ἀρχῆα excussisse commemorat. Sed in
hoc Antiquitatis studio diligenter cogitandum animo
aduertendumq; censeo, quousq; amor iste in Antiqui-
tate ueneranda progredi, & ubi acquiescere debeat,
ne in imprudentiæ aut temeritatis uitium incidamus,
quod utrumq; sapienti homini diligenter cauendum:
operamq; dandam censeo, ut non tam δὲ ταχυπρόθεος
quàm τὸ ἀναπιολόγητος effugiat. Quis enim uel me-
diocriter & (ut aiunt) leui brachio in rebus huma-
nis & literis uersatus, ignorat, quot & quanta uete-
rum ἀγνοήματα & ψευδ᾽ ἄγρια, posterioris seculi ex-
perientia & cognitione depræhensa sint? Nam ut ex
multis pauca proferam: sapientia antiquorum philo-
sophorum, oratorum, poëtarum, censuit de mundi par-
tibus tres inhabitabiles esse: mediam propter æstum,
duas extremas propter glaciem & frigora. Antiqui
enim

enim philosophi (præter Posidonium et Auicennam)
omnes, hominum sedes & habitationes Tropicis &
polaribus circulis definierunt, rati ulterius nullum sa-
lutis aut habitandi locum esse. Eosdem philosophos
secutus Cicero, terram quasi quibusdam redimitam &
circumdatam cingulis dixit: è quibus duo, maximè in-
ter se diuersi, & cœli uerticibus ipsis ex utraq; parte
subnixi, obriguerint pruina: medius autem & maxi-
mus Solis ardore torreretur. Duos uerò habitabiles
esse: quorum unus, noster scilicet, Aquiloni subiectus
sit: alter Australis, in quo qui insistent, aduersa nobis
urgent uestigia. Eodem errore inductus Virgilius, ua-
tes alioqui doctissimus & rerum naturalium peritissi-
mus, in Georgicis sic cecinit:

Quinq; tenent cœlum Zonæ: quarum una corusco
Semper Sole rubens, & torrida semper ab igni.

Quam circum extremæ dextra læuaq; trahuntur,
Cœrulea glacie concretæ atq; imbribus atris.

Has inter, mediamq;, duæ mortalibus ægris
Munere concessæ Diuûm, & uia secta per ambas,
Obliquus quâ se signorum uerteret ordo.

Hic tantorum philosophorum, oratorum & poëta-
rum error, à Plinio et Ptolemæo refutatus est, qui gena-
tes in eis Zonis (quas illi inhabitabiles putabant) ha-
bitantes descripserunt: & hodie nautarum & mera-
catorum uulgus, libros & literas, illasq; philosopho-
rum disputationes, ignorantium nescientiumq; to-
tam illam bellam sapientiam, uel potius doctam igno-
rantiam, oculis corporis & nauigationum suarum
periculis, id est, experientia & usu duce refutauit.
Nam contra ueterum illorum persuasionem, hodie in
Zonis

Zonis illis temperies summa pernoſcitur, æquatis die-
rum caloribus cum noctium frigoribus. Sub Aequato-
re ſiquidem æquinoctia perpetua, & ſaluberrimæ rea-
giones ſunt: ſub Tropicis uerò regiones incredibili
æſtu flagrant: & quidem ratio eſt in promptu. Nam in
Aequatore Sol altius euehitur, & multò celerius ſer-
tur propter circuli magnitudinem, quàm in Tropicis.
Quin etiam Aluaresius ſcribit, aquas illic Iunio men-
ſe concreſcere gelu, modò flauerit Auster. Accedit im-
brium magna uis, montium incredibilis altitudo ac
ſylvarum copia. Contrà uerò ſub Tropicis uehemen-
tes æſtus, nulli imbres, nullæ ſyluæ: rara flumina, per-
petua planicies arenarum, præterquàm in Arabia
foelice & quibuſdam Indiæ locis, propter orientis &
montanæ regionis naturam. Hic ergo primus Anti-
quitatis error de Zonis terræq; cingulis fuit. Quid di-
cam de Antipodibus, quos eadem Antiquitas eſſe ne-
gauit? Lubet hîc ea de re ridiculam hiftoriam, & niſi
ſummorum autorum monumentis conſecrata & atte-
ſtata eſſet, uix credibilem, in medium afferre, eamq;
Antiquarijs illis dijudicandam relinquere. Nam cir-
ca annum Chriſti ſeptingentefimum quadrageſimum
quintum (ut Auentinus in Annalibus Boiorum memo-
riæ prodidit) Virgilius Episcopus Salæburgenſis pro
concione dixerat Antipodes eſſe. Bonifacius Episco-
pus Moguntinus (homo tam ἀγεωμέτρης & quàm
Ariſtippus quàmq; Epicurus) Virgilium impietatis
accuſauit, hæreticumq; publicè proclamauit, quòd An-
tipodibus inductis, alius etiam Chriſtus induceretur.
Studio partium oritur lis & controuerſia ingens, iud-
diciūq; tandem deſertur ad Vitlonem Regem Boio-
rum

rum, tanquam ingentis eius certaminis arbitrum & sequestrem. Sed quid fit? Bonifacius à Pontifice Zacharia (cuius nempe legatus esset) literas impetrat ad Vtilonem Regem, quibus Virgilius uictus & ut in causa inferior, condemnatus est. Tanta uidelicet opinionis semel conceptæ & in animis hominũ infixæ uis fuit, ut Antæcos et Antipodes statuere, hæresis esse putaretur omnium hærescon maximè detestanda, maximeq; abominabilis: donec tandem & hic error nostri seculi nauigationibus detectus, refutatus & omnino sublatus est. Quid dicam de antiquis & barbaris legibus, simplicibus, rudibus et anilibus: qualis olim illa fuit apud Cumanos lex homicidij, in qua accusatori reus condemnabatur, si modò accusator multos testes adduxisset: quales etiam illæ Longobardorũ, Ripuariorũ, Frision & Francorum fuerunt: quas omnes posterioris seculi elegantia repudiavit. Quid dicam de erosis uetustate marmoribus, de cariosis tabulis, de numis oblitteratis interdum effigie & inscriptione uetustatem ementientibus, interdum adulterinis & subditijs? Quis enim neget, in his & similibus prætextu Antiquitatis multos elenchos, fallaciasq; et fraudes plurimas committi, dum multa à nostri seculi ingeniosis hominibus artificiosè confinguntur, & ad alios decipiendos asafabrè concinnantur: ut interea taceam de antiquis marmorum epitaphiorumq; inscriptionibus, quod ea sæpè ab idiotis artificibus & in suo etiam seculo peregrinis temerè insculptæ sunt. Videant igitur etiam atq; etiam ij, qui ex his rebus, nescio quos Fastos Capitolinos, ex uariè confusis & temerè congestis frustis coagmentatos, nobis pro Antiquitate uenditant. Plurima ad

ma adhuc eiusmodi Antiquitatis ἀγνοήματα recensere possem, sed hæc pauca pro multis sufficiant: quæ nos admoneant, ita admirandam esse Antiquitatem, ut eam non omnino sine exceptione laudemus: sed ubiq; iudicium adhibeamus: existimemusq; hîc etiam superiorem ætatem posterioris discipulam fieri posse.

D I X I.

TERTIA ORATIO,

QVOD ANTIQVITAS NOVI-

tati præferenda sit: recitata per

Conradum Müllerum

Altorfianum.

Est quidem aliquid, quòd ἀγνοήματα Antiquitatis ad imminuendâ deterendamq; eius auctoritatem afferuntur: sed nequamquam in illo sunt omnia. Rectum enim decorumq; est, ob multas ac præclaras Antiquitatis dones & virtutes, aliquos eius næuos oculis conuiuentibus præterire. Itaq; planè in ea sum sententia, ut Antiquitatem nouitati multis modis &, ut prouerbio dicitur, parasangis præferendam existimem: recteq; facere eos credam, qui in cognoscenda inquirendaq; Antiquitate omne studium suum, omnemq; diligentiam ponunt. Quod ut facilius intelligi animaduertiq; possit, exemplis aliquot totam illam quæstionem illustrandam existimo. In nostra & Gallica lingua Banni uocabulum frequens est: at quid ueteribus id significarit, pauci norunt, nisi qui illud ex antiquitate repetitum habent. Qui enim Antiquitatē diligenter inquiri-

rit,

rit, is in legibus Longobardorum bannum multam pecuniariam significare inueniet. In Francorum quoque legibus reperiet dici bannitos eos, qui à principe ad bellum uocantur: bannum quoque poenam esse eorum, qui principis uocationi aut ad bellum euocationi parere contemserint. Vnde uideri potest, bannum ipsum à bando dici, quod est signum ducis aut Imperatoris, à quo bandophoros dictos Procopius scribit libro quarto belli Vandilici, & Paulus Monachus libro primo historiae Longobardicae capite decimotertio. Suidas quoque ait, βανδὸν καλοῦσι ῥωμαῖοι τὸ σημεῖον ἐν πολέμῳ. Quae interpretatio rectior & uerior uideatur illa, quam Stephanus πῶδὶ πόλεωμ tradit, Romanos scilicet βανδὸν uictoriam dicere. Bandi etiam uerbo pro signo militari usus est Iustinianus in libro πῶδὶ στρατιωτικῶν κατὰ σάσεωμ καὶ ἐπιτιμῶμ, & Cedrenus Constantianae donationis tabellio. Idem est de uerbo Litare, cuius significationem rectè aperiet, qui ex antiquitate eius uim repetet. Nam apud ueteres sacrificij ritè peragendi quatuor dicebantur esse partes, Libatio, Immolatio, Redditio, Litatio. In sacrificijs enim primò libabant, hoc est, leuiter & tanquam primoribus labris Dijs præbibeant. Vnde Virgilius V. Aeneidos.

Et pateras libate Ioui.

Sacerdos enim, antequàm uinum funderet, prius simpulo ligneo uel fictili propinabat, quod simpulum uocat Iuuenalis satyra sexta. Ultima autem sacrificij pars erat litatio, hoc est, eius, quod à Dijs petierant, impetratio. Litare enim ritè sacrificare est et impetrare. Vnde Suetonius in Cæsare ait, Deum pluribus

hostijs

hostijs caesis cum litare non posset, intrauit curiam,
spreta religione: & Martialis inquit,

Non quaecunq; cadit hostia caesa, litat.

Sed quid haec uulgata & omnibus nota exempla
repeto? sumamus nostri seculi elegantiora & dome-
stica propemodum. Ut igitur ad funebrem illam Ma-
ximiliani secundi Imperatoris Augustissimi pompam
ueniamus: missilia illa, pyramidis, capricorni, & a-
quile figuram praeferentia, & in uulgus ad aeternam
laudatissimi principis memoriam sparsa, quid sibi uo-
lunt? quid loquuntur? cuius elogij speciem referunt?
Pyramis quidem inter solidas figuras prima est, ex
qua reliqua corpora omnia oriuntur. Hac figura ue-
teres sibi monumenta extrui curabant, certo omine
concepto, fore ut aeternam sui famam ad omnem poste-
ritatem hoc opere conseruarent. Pyramis igitur illa
& meta, cuius conus lunam attingit, Maximiliani fa-
mam, quae astris terminetur, & spretis contemptisque
caducis rebus, tantoq; heroë indignis, in alto & sub-
limi collocetur, designat. Augustus Imperator in ipso
geniturae suae horoscopo Capricorni foelix astrum, mi-
rabili conspirantium siderum aspectu irradiatum ha-
buit: Itaq; in aureo suo Capricornū, qui globum prio-
ribus pedibus teneret, sculpi curauit: ut significaret
felicibus astris genitum esse debere eum, qui ad guberna-
acula orbis sedere uelit. Hoc ipsum Horatius quoq;
uoluisse intelligitur, cum Capricornum Hesperiae ty-
rannum appellat: quem tamen locum nemo ex inter-
pretibus assecutus est. Eodem Capricorni sidere nati
feruntur Carolus quintus, Imperator laudatissimus, &
(ut Cardanus scribit) Carolus Borbonius, Cosmus Me-

dices & Selymus Turcarum Imperator. Quid ergo
in Maximiliani nostri nummo Capricornus? quid alio
ud quam Fortunam & perpetuam illius Felicitatem
nobis tacite loquitur? & antiquorum illorum princia
pum prosperitatem, cum nostri herois beatissimo se
culo componit? Sed illud tertium de Aquila memora
bilius est, ideoque ex antiquitate diligentius & proli
xius repetendum. Nam, ut Herodianus grauis histo
ricus, & Dion quoque in Augusti Imperatoris ἀποθε
ώσῃ refert: Imperatore, qui in Deos referendus &
consecrandus erat, uita functo, pyram in tabernaculi
formam construebant: idque auro & ebore, signisque &
tabulis pictis exornatum mirifice, alio de super bre
uiori, usque ad tertiam contignationem erigebant, A
quila cum omnium odorum aggestu in summo culmi
ne locata: lectoque auro & purpura constrato, in quo
defuncti effigies iacebat. Hunc lectum Senatus, eque
ster ordo ac uiri triumphales, quique amplissimos hono
res gesserant, in pyram: cum carmine & hymnis deo
ferebant: omnibus omnis generis honoribus, diuinis
& humanis aggestis. Tandem incensa pyra, quum uap
ore & fumo Aquila agitata, è summo culmine taber
naculi aëra petisset: religio incussa fuit, ipsius Impe
ratoris animam per inane coelum petisse, ipsumque om
ni eo, quod mortale & caducum erat, deposito &
quasi defecato, in numerum coelestium & Deorum
concilium receptum esse. Quam consecrationem ἀπο
θεώσις & ἀθανάτωσις Graeci nuncuparunt: eumque
qui sic inter diuos relatus erat, pro Deo deinceps co
luerunt. Aquila igitur in Maximiliani nostri Augu
stissimi nummo, anima illa beata fuit, quae relictis ter
reni

veni corpusculi compagibus, æternam illam Dei bea-
tarumq; mentium sedem, cœlum scilicet petijisse piè à
nobis creditur, sui desiderio maximo toti Europæ &
Christiano orbi relicto. Ex his itaq; omnibus apparet,
quàm necessarium, quàm iucundum Antiquitatis stu-
dium esse debeat. Quod cum extra controuersiam sit,
dicendum mihi nunc quoq; esset, quantoperè è contra
nouitas fugienda sit? sed quoniam & res minimè du-
bia est, & temporis breuitas longiorem orationem
non admittit, contenti hac quoq; in parte antiquo pro-
uerbio erimus, quo Africa quoq; quæ semper aliquid
noui afferret, in odio fuisse perhibetur. Illud etiam
iureconsultorum, opinor, satis fidei affert, qui nequa-
quam censent antiquis legibus sublatis, nouas temerè
introducendas. Sic enim Vlpianus in capite secundo,
De constitutionibus principum ait: In rebus nouis
constituendis, euidens esse utilitas debet, ut recedatur
ab eo iure, quod diu æquum uisum est. Quamobrem ut
rem breuiter compræhendam, reiecta nouitate, solam
Antiquitatem pro omni ueritatis, utilitatis, perfectio-
nis norma: pro Lesbia; uel potius pro Polycletea rea-
gula habendam existimo. Sicut enim Polycletus statu-
arius canonem, ut uocant, fecit, ex quo uelut à lege
quadam artifices lineamenta artis peterent: & in quo
solus hominum artem ipse, operis arte fecisse iudicatus
est: ita pro omnis questionis lege Antiquitas nobis
esse meritò debet, ad quam tanquam certissimam amusa-
sim posteritas omnis, nouitasq; examinetur: sic enim
& poëta Romanus antiquissimus de Romanæ politiæ
antiquæ amplitudine differens, ex eadem antiquitatis
regula causas amplitudinis repetijt, cum inquit,

Moribus antiquis res stat Romana, uirisq;

D I X I.

QVARTA ORATIO, AN-
TIQVITATEM NON VBIQVE
præferendâ nouitati: recitata per Ia-
cobum Pömerum, patricium
Noribergensem.



Væ est ista de Antiquitatis insano amore tã
insolens oratio? Omninõne & sine exce-
ptione nouitati Antiquitas præferenda
est? O Deum immortalem? egõne me hoc
seculo non natum gaudeam? Antiquitas pro omni ue-
ritatis, utilitatis, perfectionis norma, pro Polycletea
regula habebitur? Quid si falsa sit, quid si inutilis,
quid si imperfecta? Quàm multa enim in Antiquitate
falsa sint, satis opinor in secunda oratione auditum
est. Nunc age quàm illa utilis, quàm perfecta sit, audia-
mus. Sed unde eius rei fidem potius quàm ex nostræ
ætatis inuentis requiremus? Age igitur quandoqui-
dem tantoperè Antiquitatem tanquàm filiolam quan-
dam tuam deoscularis: dic mihi, cui usui esse possint
illa antiqua belli instrumenta, quæ ueteres tantoperè
commemorant, catapultæ, arietes, balistæ, & id genus
alia, quibus saxa iaciebant, propugnacula oppugna-
bant, turres & mœnia pulsabant? Nõne illa hodie
pumilionum aut pygmæorum cum gruibus, aut potius
muriæ cum ranis certantium tela esse dices? At como-
para cum his è contra nostras illas in Vulcani officina
informatas bombardas quas uocant: an non illas Gi-
gantum

gantum, Iouem caelo deturbare conantium, machinas
dixeris? Vbi uerò aut quando has tua illa anus $\nu\alpha\pi\epsilon\delta\sigma\alpha$ uidit, ubi de his audiuit? Planè enim ridicu-
li sunt (inter quos & Robertus quidam Valturius est)
qui aeneorum tormentorum usum antiquis uendicare
audent: cum bombardæ, id est, aeneæ illius machinæ,
Iouis tonitrua imitantis, mentionem apud ueteres nul-
lam constet esse factam. Reuera enim bombardica seu
tormentorum bellicorum mechanica, nostræ ætatis in-
uentum est: cuius usus bello Veneto contra Genuenses
ad Fossam Clodiam, circa annum Christi millesimum
trecentessimum octogesimum, mundo primum innotu-
it, à Germano quodam nominis ignoti primum reper-
tus. Sunt qui scribant Monachum Chymistam fuisse,
cum forte fortuna nitro, sulphuri, carbonibus, uaria fo-
mitum genera commiscendo, igne adhibito cognouis-
set, quanta uis eius materiæ esset. Sed quicumq; tandem
autor fuerit, Genuenses certè, qui primi illarum machi-
narum uim perpeffi sunt, se quidem interfici sentie-
bant, quo tamen teli genere, non animaduvertebant.
Iam enim tum primum nouum hunc partum mundus
hic pepererat. Ex eadem nostri seculi officina prodiit
Typographia, quæ uidetur in Purbachij tabulis ad
Regiomontanum referri, inter cuius opera ars illa mi-
rifica literarum formatrix, tentata saltem appellatur:
neq; Chronologia repugnat, cum primum typogra-
phiæ exemplum Moguntia editum sit anno 1466. à
Petro Gernshemio puero Ioannis Fustei, ut constat è
Ciceronis officijs, quæ prima omnium librorum typis
aeneis impressa sunt. Exemplar Officiorum istorum in
membrana impressorum adhuc in bibliotheca Augus-

stana conseruatur, quæ ad finem hanc inscriptionem
continent: Præfens M. Tullij clarissimum opus Ioan-
nes Fust. Moguntinus ciuis, non atramento, plumali
canna, neq; ærea: sed arte quadam perpulchra, manu
Petri de Gernsheim pueri mei feliciter effeci. Finitum
anno 1466. quarto die mensis Februarij. Ita ars
omnium artium conseruatric Typographia nostri se-
culi, non antiqui inuentum est, Sibyllino carmine iam
olim prædicta, in quo uates illa Antichristum lino
periturum cecinit. Et quemadmodum Valturium in
bombardarum mechanica: ita Iouium in Typogra-
phia Antiquitati asserenda audiendum non censeo.
Quanquam enim ille non aperte, clam tamen libro
XIIII historiarum Indis Typographiæ usum anti-
quiorem attribuere uelle uidetur, cum inquit: Quod
maximè mirandum uidetur, in India sunt typographi
artifices, qui libros (in quibus historiae & sacrorum
ceremoniæ continentur) more nostro imprimant, quo-
rum longissima folia introrsus quadrata serie repli-
centur. Cuius generis uolumen à rege Lusitaniæ cum
Elephanto dono missum, Leo Pontifex humaniter no-
bis ostendit, ut hinc facile credamus, eius artis exem-
pla, antequam Lusitani in Indiam penetrarint, per
Scythas et Moschos ad incomparabile literarum præ-
sidium ad nos peruenisse. Hæc ille, sed quàm uerè, alio-
rum esto iudicium: Germani certè hanc laudem
nunquam sibi extorqueri patientur. Quid dicam de
nautica, atq; in omnes uniuersi orbis oras nauigatio-
ne, quæ tertia ætatis nostræ laus est? Hæc enim magne-
tis & pyxidis nauticæ beneficio (de quo ueteres nihil
ne fando quidem audierunt) renouata à Columbo ano-

no 1491: à Vespucio anno 1501, Antipodes terra
rarumq; atq; Oceani tractus omnes Vtilonibus & Boa
nifacijs aperuit. Tres igitur hæ singulares artes,
bombardica inquam, typographica & nautica, nostræ
ætatis non antiquitatis inuenta sunt. Sunt autem &
alia infinita serè à recentioribus reperta. Nam ut omitta
tam saccari ex arundinibus excoquendi artem: specula
lorum uitreorum planorū $\mu\omega\lambda\upsilon\beta\delta\omega\sigma\iota\pi$ seu plumbum
baturam ex argento uiuo et stanno: machinam item pi
storū cribratoriam: ignis per pyritem sclopettis addi
tum excussionem: ut inquam hæc omnia & his simi
lia præteream: quàm artificiosa est recens illa ars se
parandi aurum ab argento per aquam chrysulcam?
quæ cum antiquitati ignota fuisset, factum est ut Vlpia
nus in l. 5. De rei uend. diceret, si plumbum cum ar
gento mixtum sit, quia deduci possit, in rem actionem
dari: Sed si deduci non possit (ut si æs & aurum mix
tum fuerit) pro parte esse uendicandum. Huic itaq;
Vlpiani rationi cum hodie locus non sit, propter chry
sulcam aquam, cuius ui aurū à quocunq; alio metallo
separari potest: de hac specie idem iudicandū est, quod
de superiore, ut rectè Alciatus lib. 6. parergôn cap. II.
scripsit. His addenda sunt, quæ in Astrorum doctrina
recentiores adiecerunt. Nam cū ueteres octauæ sphae
ræ motum nondū depræhendissent, ac Ptolemæus tar
dißimum unius gradus in annis centenis motum: po
stea uerò Albategnius in annis 66. per unum gradum
ferri animaduertisset: ibi Tebitius, ut huius uarietatis
& maximarum Solis declinationum rationem affer
ret, trepidationis motum primus est commentus: Al
fonsus uerò siue obseruatione siue calculi coniectura

inductus, trepidationi longitudinem adiecit. Nicolaus quoque Copernicus noua quaedam in Astronomia commentus, sed à plerisque in eo genere reprehensus est. Nam cum Solem in centro mundi immobilem & fixum: terram uero circa Solem moueri finxisset, scutica hunc potius aut flagello, quam reprehensione dignum iudicauit Maurolycus. Et ut nostri seculi præstantissimam laudem ad extremum subiiciam, nihil est quod antiquitati prolixius aut superbius propemodum opponere possimus, quam Methodi lucem: quæ ab imperita Methodorum multitudine uindicata, artes omnes hodie in illustrissimo clarissimoque lumine locauit. Sed de Methodo, eiusque luce his extremis temporibus accensa: alibi commodior dicendi differendi que locus est. Ut igitur tandem contra illos Antiquitatis insanos affectatores (qui lunatos calceos & Atticas cicadas, è capillis prominentes, breui reuocabunt) concludam, eosque extremis diris deuoueam: cum Erasmo illis ipsis admiratoribus imprecor, ut nunquam mutant ueteres calceos, aut putre subligar: sed semper uescantur putribus ouis, nec aliud bibant quam uappam. DIXI.

Ioan. Thomas Freigijs D.

Benè habet, inquit Orator, iacta sunt fundamenta. Nihil igitur amplius restat, quam ut uos, qui ex inferioribus classibus ad superiores, & ab exotericis inter acroamaticos referendi estis, aliquo congiario donandi, & amplissimi senatus nostri liberalitate ad maiorem sedulitatem excitandi sitis: Tu igitur famule, age singulos ordine & separatim euoca.

NOMINA ET CONGIARIA.

Hæc cons



CONG·ACRO=
AMAT·
EX·S·C·
M·D·LXXIIX·



CONG·CL·
·I·
EX·S·C·
M·D·LXXIIX·



CONG·CL·
·II·
·EX·S·C·
·M·D·LXX
IIX·



CONG·CL·
·III·
·EX·S·C·
·M·D·LXX
IIX·

Hæc congiaria adolescentes ingenii, quæ modo ex
suggestu à me accepistis, sua quoq; symbola tam muta
quàm uocalia ex antiquitate repetita habent, quæ
unumquemq; suæ Sparta, quam nactus est, admone-
ant. Nam illi qui ex infimo ordine ad proximum ad-
scendunt: habent delphinum ancoræ implicitum, cum
symbolo σπεῦ δε βραδέως, quo symbolo Octavius
Augustus & T. Vespasianus Imp. Rom. impensè de-
lectati feruntur: quod non tam discipulis, quàm præ-
ceptoribus ipsis ad imitandum propositum esse debet.
Nam ut in utroq; illo Imp. cum amabili popularitate,
qua omnium animos sibi deuinciebant, par quædam
diligentia erat, qua, si usus postularet, celeriter res ma-
ximas conficerent: ita in præceptore non tam seuera
austeritas, quàm lenitas quædam familiaritasq; & hu-
manitas, (quam Delphinus animal φιλανθρώπων
τοῦ designat) inesse debet. Discipulos uerò hoc symbo-
lum monet, ut ad artium initia discenda, adhibeant si-
mul & ab industria celeritatem & à diligentia tar-
ditatem. Quanquam enim Xenophon in ducis uirtu-
tibus numeret δ' σπεῦσαι, & Cicero Pompeij cele-
ritatem in negotijs obeundis ualde laudet: Alexan-
derq; interrogatus, quomodo tam breui spacio orbem
subegisset, responderit μηδὲρ ἀναβαλλόμενος: eumq;
Cæsar (quem monstrum horribili celeritate Cicero uo-
cauit) secutus, totam Galliam & Britanniam paucis
annis populo Rom. subiecit: consultius tamen in illa
iuuenili ætate est, eam moderationem adhibere, quam
I. C. Venuleius in l. continuus. De uerb. oblig. adhi-
bendam censet, ut scilicet neq; diplomate diebus ac no-
ctibus & omni tempestate contemta festinemus: neq;
tam

tam delicatè progrediamur, ut reprehensione dignè
appareamus.

At secundi ordinis emblemata literam Pythagoræ
ostendit, cuius imago haud dubiè ex Mosis schola pro-
fecta est de arbore scientiæ boni & mali: & utramq;
humanæ uitæ uiam, unam uirtutis, alteram uitiorum
nobis depingit. Nam, ut Virgilius noster ait,

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni,
Humanæ uitæ speciem præferre uidetur,
Nam uia uirtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemq; aditum primùm spectantibus offert,
Sed requiem præbet fessis in uertice summo.

Quod poëta noster ex Hesiodo desumpsit, cum ait,

τῆς ἀρετῆς ἰσθῶτα θεοὶ προπάροισεν ἔθνηα
ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιός οἱ μῦθος ἐπ' αὐτῆρ,
καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἀκρορῖκην ἴκηται,
ἤκτι δ' ἴκη δ' ἠπείτα πάλαι, χαλεπήπερ ἔσσα.

At contra:

Molle ostentat iter uia lata, sed ultima meta
Præcipitat captos, uoluitq; per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus uirtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemq; decusq; parabit.
At qui desidiam, luxumq; sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis, inopsq; simul miserabile transigit æuum.

Tertium uerò congiarium, in quo Phœbo citharam
pulsanti, felicitas cornu copię dextra tenens corollam
imponit: docet ex studiorum liberalium, quibus Phœ-
bus μῦσος ἑστῆς præsidet, cultura nihil aliud quàm
publicam fœlicitatem nasci, et omnium bonorum the-
saurum & quasi copię cornu aperiri. Id modò ope-
ram

ram date, ut artium illarum trium consociationem, tanquam trium in cithara nervorum harmoniam, in ista uestra tribu retineatis: ut hoc stadio decurso, corollam aliquam ex liberalitate publica consequamini.

Quartum & ultimum, quod tres metas praefert, & acroamaticis destinatum est, de multis monet. Solebant enim ueteres Rom. equorum certamina, in circo maximo, proposito brabeo agitare, ubi equi ex carceribus emissi, circum metas & obeliscos scite flectebantur. Quemadmodum igitur apud Homerum Iliad. Nestor Antilocho filio quadrigarum curriculum agitatur in primis praecipit, ut equum dexteriores stimulet, eiq; habenas laxet, detq; operam ut sinisterior ita metae appropinquet, ut modiolus rotae summam metae attingere quidem uideatur, non tangat tamen, ne & equos uulneret & currum effringat: ita uobis etiam acroamaticis praecipere possum, ut scilicet ex carceribus emissi, & ad acroamaticam metae delati, ita cursum uestrum moderemini, ne in ipso flexu metarum impingatis, currumq; effundatis. Quanquam enim haecenus tres cursus confecistis, & illas tres artes liberales quasi tres metas circumuecti estis: instrumenta tamen tantum & philosophiae ministros comitesq; duntaxat artes cognouistis. At nunc quartus isq; grauisissimus cursus restat, quo (non quidem relictis illis ministris, sed assumtis, tanquam laboris socijs) ad rerum cognitionem uobis contendendum est: ad mathematica, ad physica, ad ethica, ad politica, ad historica & reliqua acroamatico curriculo proposita. Hic sudandum, hic uigilandum: hic nullus locus desidiae aut inertiae: hic labor, hoc opus est. Quamobrem in hoc
uestro

uestro durissimo cursu, rerum iam confectarum consci-
entia & memoria uos resuscitate: illudq; prouerbium,
dulces acti sunt labores, uobis identidem subiicite: co-
gitateq; illud poëta,


Qui cupit optatam cursu contingere metam,

Multa tulit, fecitq; puer, sudauit & alsit,

Abstinet Venere & Baccho, qui Pythia cantat.

Sed nos quoq; tandem ad nostram metam perueni-
mus: superest itaq; ut tu Derrere Deo primū Opti-
mo Maximo, deinde amplissimo Senatui & Scholar-
chis nostris, totiq; concioni gratias omnium nostrum
nomine agas.

GRATIARVM ACTIO,
SCRIPTA PER GEORGIVM GLA-
cianum: recitata per Balthasarum
Derrerum, patricium No-
ribergensem.

 Vanquam optarim, Viri amplissimi &
ornatissimi, ut cuidam ex meis condiscipu-
lis doctiori postrema huius panegyricæ
concionis pars mandata esset: non mihi,
qui in dicendo, præsertim in tantorum uirorum con-
fessu, minimè sum exercitatus: tamen præceptorum
uoluntati obtemperandum esse duxi: ac malui in me
eruditionem, quàm obedientiam desiderari: imprimis
hodierno die, quo & Deo Opt. Max. & amplissimis
Dominis Scholarchis ceterisq; uiris præstantibus gra-
tia memori mente ac pia oratione est persoluenda.

Quod

Quod enim hæc schola quotidie magis magisque efflorescit: quod in ea pietatis & literarum studia uigent: quod ingenia adolescentum scribendo, dicendo, disputando exercentur: quod solennes progressiones fiunt: quod præmia studiosis distribuuntur: quod cætera, quæ ad huius gymnasij dignitatem & utilitatem pertinent, suscipiuntur & aguntur: id omne diuino numini & clarissimi Senatus nostri liberalitati est tribuendum.

Quamobrem tibi primum, æterne Deus, agimus & habemus gratias immortales, tum quod inclytum nostrum Senatum lumine tuæ sapientiæ illustras, amoris tui flamma accendis, tuæ uirtutis robore confirmas: ut lucis beneficio uideat: amore incensus cupiat: auxilio adiutus suscipiat & agat, quæ ad pietatis, iusticiæ, linguarum & artium conseruationem spectant: tum quod hanc regionem & hoc literarum domicilium à bellorum, incendiorum, morborum, tempestatum, sophismatum calamitatibus defendis: omnisque generis bona, ad uitam quietè & commodè transigendam necessaria, abundè largiris. Rogamus te, ut deinceps quoque nostrum magistratum numine & auxilio tuo regas, iuues & tuearis: & hanc cœlestis doctrinæ optimarumque doctrinarum sedem incolumem conserues: uniuersam hanc literatam societatem studiorum, laborum & uoluntatū nexu coniunctissimam tuteris. Impertire nobis facultatis copiam, ut possimus: adde animum, ut uelimus nostris officijs ac muneribus diligentissimè fungi. Iuuentuti quoque eam tribue mentem, qua & alacris ad suscipiendam doctrinam, & docilitatem etiam beneficij memor & grata erga præceptores efficiis

efficiatur. Da deniq; quæ ad uitæ usum et cultum per-
tinent, donec nostræ mentes, ab hac terrestri labe seiuna-
tæ, cum cœlestium animorū cœtu consocientur. Amen.

Deinde gratias uobis agimus & habemus maxi-
mas, amplissimi Domini Scholarchæ, prudentissimi Sen-
natores, consules, & quotquot adestis ex cunctis Rei-
publicæ Noribergensis ordinibus, patres conscripti :
cum pro alijs uestris maximis beneficijs : tum pro ho-
diernis in nos præclarè meritis : quòd his solennibus
negocijs conficiendis adfuisstis : & uestra præsentia
hanc scholæ festiuitatem decorastis, atq; adeo uestre
singularis erga nos beneuolentiæ argumenta & indi-
cia certissima dedistis. Rogamus etiam atq; etiam, ut
hoc gymnasium uestrum posthac quoq; uestra autori-
tate, beneficentia ac patrocinio amplificare, ornare
atq; tueri pergatis. Ut enim tenellæ plantæ fulcris
opus habent, quibus innixæ in altum assurgant, atq; à
tempestatibus tutæ uberius crescant : Sic hoc gymna-
sium uestra beneuolentia, auxilio & autoritate indi-
get, qua fulciatur & protegatur, ne qua aura inuidiæ
aut malitiæ illi nocere aut obesse queat. Ex quo & il-
lud consequetur, ut tum præsens hæc ætas, tum ipsa pos-
teritas imaginem huius eximiæ uestre uirtutis, pluri-
morum sermone celebratam, literatorum scriptis ex-
pressam, intuens uelit imitari : id quod & uobis glo-
riam sempiternam, & Christianæ societati admirabi-
les utilitates est allaturum.

Tum deniq; & illustrissimis generosisq; Comitibus
et Baronibus, ac cæteris uiris optimis, ac humanis-
simis, qui ad hanc Panegyrim spectandi audiendiq;
causa aduenere : gratias agimus, quantas animus nos-
ter

ster concipere potest maximas, quod scholæ huius Ena-
cænia suo illustrissimo iucundissimoq; conspectu co-
honestarunt atq; auxerunt: à quibus etiam magnope-
rè petimus, ut qua benevolentia hætenus nos fuerunt
prosecuti, eandem in posterum quoq; nostro gymnasio
præstent. Quibus singulis & uniuersis uicissim nos-
trum studium & operam humillimè & liberalissimè
pollicemur. D I X I.

Hic fuit actus secundæ Panegyricæ
progressionis.

A prandio acta est Tragoedia Euri-
pidis Græca, Hecuba.



DELI-

GRATVLATIO
IN HONOREM STUDI-
OSORVM GYMNASII ALTORFIA-
ni, qui ad penultimum diem Iun. Anno 1578.
in secunda Panegyri, partim ex inferiori-
bus classibus ad superiores, partim verò
ex superioribus ad publicas lecti-
ones translati sunt, scri-
pta per

GEORGIVM PVLMARVM
eiusdem Gymnasij Col-
legam.



*Racia quæ studijs doctrinæ floruit olim,
Et longo præstans tempore Marte fuit:
Totius in populi coetu procerumq; corona
Ornabat fortes laudis honore viros.*

*Bellaci quorum fuerat, uirtuteq; magna
Hinc procul à patria res benè gesta manu.
Et rectè. Quis enim Marti se credat iniquo,
Aut dubio? laudis ni comitetur honos.
Quis patriam sumtis defendat strenuus armis?
Perpetuum si non surgat ex inde decus.
At quid opus multis? segnes quoq; rebus agendis
Ardua sic aptos gloria sæpè facit.
Atq; hæc solerti (ni fallor) certa Pelasge
Consilij genti meta scopusq; fuit,
Scilicet ut studium calcar uirtutis ad ipsum
Hoc pacto ignauis adderet ipsa uiris.
Nec frustra. Siquidem hoc ipso sibi deniq; ritu*

K

Insignes

Insignes peperit pace togâq; duces.
Quos benè de patria meritos hinc fama secuta est
Præclara & nullo deperitura die.
Ergo quis miretur idem cur tempore nostro
Per doctas fiat non sine laude scholas?
Barbariem contra pugnant quæ fortiter ipsæ,
Et ceu cum monstro bella subinde gerunt.
Nam nisi discentes maneant sua præmia laudum,
Musica res certè concidet ipsa breui.
Nec genus hoc solùm doctrinæ nobilis omne,
Ipsius ast uitæ corruet inde decus.
Id quod Noriaci uenerabilis ordo senatus
Vsu iam rerum nouit & ipse suo.
Quocirca magno studiorum inductus amore,
Decreuit Musis præmia larga suis.
Instinctu quorum tacito studiosa iuuentus
Artes perdiscat cum pietate bonas.
Et meritam laudem palmamq; industria certam
Propositam cernat sic sine fine sibi.
Nec malè consilij prudens ratio ista Senatus
Successit, summo sic moderante Deo.
Publica quod studij nuper censura probauit,
At nunc & classis dignior ordo notat.
Quod monet affixum hinc ualuis programma legentè,
Et docet argento facta moneta nouo.
Actio quodq; Hecubæ & Polymestoris arguet ipsa,
Hei mihi quàm tragicis instituenda modis.
Ergo quod superest celebri nunc gratulor urbi
NORIDOS, & uerè Grex studiose tibi,
Hanc tibi quòd proprio laudem sudore pararis,
Quæ superet clari fulua metalla Tagi,

Quæq;

Quæq; habeat testes illustri stemmate natos,
Atq; alios claros nobilitate uiros.
Ac moneo, ut coeptum pergas absoluere cursum,
Nec recta abduci te patiare uia.
Non etenim satis esse putes coepisse laborem,
Illum sed potius continuare decet,
Si modò præfixam cupias contingere metam,
Et uerè docti nomen habere uiri.
At benè quò studij cedat conatus, & olim
Cum tibi tum reliquis utilis esse queat,
In primis pura summum cole mente parentem,
Qui ingenij ueras sufficit unus opes.
Ingenuum castis animum tum moribus orna,
Nam morum improbitas est odiosa Deo.
Atq; ipsos animi sanctè reuerere parentes,
Nulla quibus reddi gratia digna potest.
Hæc si, crede mihi, facies, opus omne laboris
Procedet tandem non sine fruge tuum.
Et schola tota tibi meritum decernet honorem,
Expertes cuius conspicias esse pigros.
O bone Christe Dei fili genitoris & ardor,
Qui studia atq; artes adseris ipse bonas,
Gymnasiij coetum nostri tu quaeso gubernes,
Officium ut faciat cum pietate suum.
Tu studijs cursum nostris largire secundum,
Et prohibe à nobis quicquid obesse potest.
Hinc tibi uti consurgat honos & fama perennis,
Nominis ac uigeat gloria ubiq; tui.

F I N I S.



NORIBERGÆ,
In Officina Typographica Catharinæ
Gerlachin, & Hæredum Iohan-
nis Montani,



DELINEATIO ET ΣΚΙΟΓΡΑΦΙΑ
SCHOLÆ ALTORFIANÆ.

Gymnasij Altorfiani scopus est prudentia politica, cum studio Christiane religionis coniuncta. Prælectiones itaque sunt partim

<p>Grammatica Latina & Græca</p> <p>Absolutius & perfectius. Itaque præfectus classis tertiæ, doceat hora</p> <p>Classicæ seu Exoterice in docenda</p>	<p>Rudius. Itaque præfectus classis quartæ, doceat hora</p> <p>Absolutius & perfectius. Itaque præfectus classis tertiæ, doceat hora</p>	<p>VII. Declinare & coniugare exemplis magis quàm præceptis. In Syntaxi quoque tantum facilimas & generalissimas regulas tradat.</p> <p>IX. Nomenclaturam Hadriani Iunij: in eaq; Analysis Grammaticam exerceat. Nomenclatura.</p> <p>II. Dialogos Ludouici Viuis. Die Sabbathi Catechesin quatuor linguarum. Catechesis.</p> <p>VIII. Grammaticam Latinam. Diebus Veneris & Sabbathi Græcam. Græca lingua.</p> <p>I. Virgilij aliquam eclogam, aut Ouidij Elegiam, aut Psalmum ex Buchananano, cum Analysis poetica: in qua Prosodia regulas paucissimas, facilimasq; tradat: & pueros ad auctoritates poetarum potius assuefaciat: nec eos multis generibus carminum oneret: sed in Elegiaco & Heroico potius exerceat. Diebus Veneris & Sabbathi carmen aliquod Græcum ex Epigrammatis, cum Analysis poetica, discipulis proponat. Carmina.</p> <p>III. Epistolas Ciceronis, aut Terentij aliquam Comœdiã. Die Iouis argumentũ epistolæ tradat. Die Veneris et Sabbathi Isocratis παραίβεσις, aut fabellas Aesopi explicet. Epistolæ.</p>
<p>Logica. Itaque præfectus secundæ classis doceat hora</p>	<p>Logica. Itaque præfectus secundæ classis doceat hora</p>	<p>VII. Logicam: ita ut præmittat decem locos inuentionis, eosq; facilimis exemplis & breuissimis definitionibus illustret. Postea enunciati naturam & syllogismum eiusq; tres figuras diligentissimè inculcet. Die Sabbathi disputationem instituat. Disputationes.</p> <p>I. Ciceronis & Demosthenis orationes, cum Analysis Logica. Die Veneris & Sabbathi Genesin instituat.</p> <p>III. Virgilij Aeneida & Homerum cum Analysis Logica. Die Sabbathi & Veneris Genesin instituat.</p>
<p>Publicæ seu Acroamaticæ: eaq; uel</p>	<p>Rhetorica. Itaque præfectus primæ Classis doceat hora</p> <p>Philosophicæ in docenda</p> <p>Historicæ hora nona.</p> <p>Poeticæ hora duodecima.</p> <p>Iustinianæ hora secunda.</p> <p>Theologicæ in docendo</p>	<p>VII. Rhetoricam, ita ut genera causarum, statuum naturam, inuentionem & dispositionem quàm breuissimè explicet: in elocutione uerò & pronuntiatione omne suum studium ponat, & hic totus habitet.</p> <p>I. Ciceronis orationes, cum Analysis Rhetorica. Die Veneris et Sabbathi Genesis fiat: & quoniã Rhetoricæ præcipua uirtus in Actione est, aliquando etiã Comœdiarũ actiones instituat: discipulisq; exemplo præcat. Declamationes.</p> <p>III. Demosthenis & Isocratis orationes, cum Analysis oratoria. Die Veneris & Sabbathi Genesis fiat. Comœdiarũ actiones.</p> <p>Arithmetica</p> <p>Mathesi, ut</p> <p>Astronomia</p> <p>Musica.</p> <p>Historicis</p> <p>Chronicon Philippi. Iustinum. Q. Curtium. Liuium. Salustium. Cæsarem.</p> <p>Poëtis</p> <p>Horatij artem. Satyricos. Georgica. Aeneida.</p> <p>Iure, institutiones Iustiniani.</p> <p>Has tres horas Freigius sibi desumpsit: qui per proximũ quinquennium explicabit in</p> <p>Linguam sanctam Hebraicam. Examen Philippi aut eius locos: aut epistolam D. Pauli ad Rom.</p>

DEI ...

Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. Some words like "Logica" and "Analys" are faintly visible.



Fl 2450

ULB Halle
003 140 27X


3



IA 70L

ML





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

(3)

ORATIONES
IN GYMNASIO ALTORFIANO PARTIM A RECTORE IOAN. THOMA Freigio I. V. D. recitatae, partim Adolescentibus recitanda traditae.



CVM ALIIS QVIBVSDAM Doctorum virorum scriptis.

NORIBERGÆ,
clō, Id, LXXVIII.

